

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
1
24-G
23

IOH. GEORGII WACHTERI
ARCHÆOLOGIA NUMMARIA,

CONTINENS

PRÆCOGNITA

NOBILISSIMÆ ARTIS, QVÆ NUMMOS ANTIQVOS INTERPRETATUR.



Leopoldi Andreae Guadagnii Kti.

LIPSIÆ

EX OFFICINA BREITKOPFIANA
MDCCXL.

ELENCHUS CAPITUM.

CAP. VII.

De nummis Macedonicis.

CAP. VIII.

De reliqvis Graecorum nummis vetustissimis.

CAP. IX.

De nummis Romanorum, et primo de Asse.

CAP. X.

De Assibus imminutis periculum Criticum.



ERRATA EXTANTIORA.

Pag. 20. lin. 15. *demonstrare, neqvit,* tolle virgulam et lege *demonstrari neqvit.*

Pag. 23. lin. 12. pro ἧνα lege ἵνα.

Pag. 29. lin. 30. *Eqvidem Diodorum,* lege *Eqvidem Diodorus.*

Pag. 73. lin. 9. *alia ab aliis,* lege *aliae ab aliis.*

Pag. 77. lin. 13. *Phocenses,* lege *Phocenses.*

Pag. 122. lin. 22. *nec defendere potuit,* lege *nec demonstrare nec defendere potuit.*

Pag. 126. lin. 11. *Antonii Pii,* lege *Antonini Pii.*

Pag. 127. lin. 25. *qvantum valueris,* lege *qvantum volueris.*

Pag. 140. in margine lege *Supra §. 16. 17.*

Pag. 143. lin. 16. pro XXIII. repone XXVIII.

* * *



CAPUT I.

DE NOVITATE PECUNIAE, ET PERMUTATIONE ANTIQUA.

I.



SUM pecuniae non esse sempiternum, sed diu post stabilita imperia commerciorum causa inventum, et commutationi rerum tanquam usui vetustiori successisse, prolixa demonstratione non eget, aliqua tamen opus habere videtur, ut facies rerum antiqua melius cognosci, et cum recentiori contendi possit.

II. Bella fuisse in orbe, antequam ulla pecunia existeret, nec bella tantum, sed etiam commercia, merces pretiosas, arma et vasa ex auro argentoque fabricata, etiamsi incredibile videatur, certum tamen est. Quid Bello Troiano antiquius, celebrius, aut splendidius? Scutum Nestoreum, cum totum esset ex auro, ferociam Hectoris in media pugna plus incitare *Il. Lib. 1.*

A vide-

videtur, quam vincendi gloria. Qui, cum more antiquo ex curru pugnaret, equos ſuos alloquitur, quaſi praedam communem ſecum habentes, feſtinate, ut illud capiamus. Scutum vero Achillis, quamvis ex pluribus metallis, auro, argento, et aere conflatum, tot figuris fuit ornatum, tantoque artificio caelatum, ut hodie omnem paene ſolertiam fabrilem aut vincat aut aequet. Qualis fuerit eiusdem ſplendor in reliquo apparatu, teſtantur praemia ludorum in funere Patrocli, ſociis propoſita, et inter alia duo talenta auri, et crater argenteus, ſex continens menſuras, quem Sidones ingenioſi ſcite elaborarunt, et mercatores Phoenicii per Pontum coeruleum abduxerant. Omitto currum Diomedis, auro ſtannoque fulgentem, in iisdem ludis.

Il. Lib. 18.

Il. Lib. 23.

III. Et nihilominus in tota illa Expeditione nullum pecuniae aut ſtipendii militaris veſtigium, nec apud Phryges, nec apud Graecos deprehenditur. Omnes ducem et caſtra ſequuntur praedae cauſa. Quia ſcil. more receptum erat in bellis iſtius temporis (ut a Commentatoribus pridem annotatum) praedam omnem a populo militante in medium conferri, deinde viritim dividi, ſervata tamen Regibus et Ducibus ſelecta aliqua praedae portione. Hanc praemium militiae vocat Achilles, hanc ſibi iniuſte auferri conqueritur in altercatione cum Agamemnone. Si quid praeterea ſingulis aut univerſis opus erat, id aliis rebus ſibi comparabant. Sic Graeci vinum emunt, alii aere et ferro, alii pellibus bubulis, alii bubus ipſis, alii mancipiis.

Il. Lib. 1.

Il. Lib. 7. circa fin.

IV. Ne quis autem haec tanquam fabuloſa contemnat, aliis documentis utar, quae ſpeculo temporum Homerico fidem faciant. Roma ipſa, Rempublicam multis ſaeculis conſiſtere poſſe ſine pecunia, et omnibus Pacis Bellique muniis defungi, nonne exemplo ſuo docuit? Evolvantur Annales Urbis, et patebit, primos Romanorum Reges bella geſſiſſe cum Sabinis, Caeninenſibus, Cruſtuminis, Antemnatibus, Camerinis, Veientibus, Fidenatibus, Albanis, Latinis, Hetruſcis, et ſpolia opima Capitolio intuliſſe ab hoſtibus victis, antequam Servius Tullius

lius assem ex aere conflaret. Post Reges expulsos pugnatum est rursus cum Hetruscis, Volscis, Veientibus, aliisque innumeris, sine ulla pecuniae ope, nisi vilis illius a Tullio inuentae, et, quod magis mirandum, sine ullo stipendio militari. Nam quo tempore Senatus decrevit, ut stipendium miles de publico acciperet, *nondum argentum erat signatum, sed de suo quisque militis munere functus erat*, ut diserte Livius. Liv. Lib. IV. Cap. 59. 60. Quantum aevi effluxerit ab hoc stipendio ad Pyrrhum devictum, quantum bellorum gestum sit a Populo Romano, quot hostes victi aut in deditionem accepti, quot urbes et regiones Romanae ditioni adiectae, quot Coloniae deductae, quantum auri argentique captivi aerario illatum sit, antequam Senatus primum denarium percuteret, si ordine exponere vellem, longa foret narratio, et factu lectuque taediosa.

V. Germanos veteres, antequam pecuniam accipere a Romanis didicissent, simplicius et antiquius permutatione usos esse, et in ista paupertate pecuniam quidem argenteam, sed non argentea vasa torquesque ignorasse, testis Tacitus, cuius verba, quia statum Germaniae antiquum eleganter depingunt, hic apponam. *Numero gaudent* (armentorum). *Eaeque solae et gratissimae opes sunt.* Tac. de M. G. c. 5. *Argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere. Quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde afficiuntur* (sicut Romani). *Est videre apud illos, argentea vasa Legatis et Principibus eorum muneri data* (aut bello capta), *non in alia vilitate, quam quae humo finguntur: quanquam proximi* (Rheno) *ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt, atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, Serratos, Bigatosque, argentum quoque magis, quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua et vilia mercantibus.* Et rursus: *Mos est Civitatibus ultro ac viritim* Ib. cap. 15.

conferre Principibus (aliquid) *armentorum vel frugum, quod pro bonore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phalerae, torquesque. Iam et pecuniam accipere docuimus.*

VI. De prisco commercandi more, qualis et quotuplex fuerit ante nummos inventos, Pausanias, quo nemo diligentius aut profundius Graeciae Antiquitates scrutatus est, in descriptione Urbis Spartanae, quam Laconicis suis inseruit, ita dissePaus. Lib. 3. c. 12. rit in transitu: *In hac ipsa via sunt apud Lacedaemonios, quae Booneta vocantur. Domus ea fuit Polydori Regis, quae eo mortuo, ab eius uxore empta est. Boves pretium fuere. Nondum enim tunc erat nummus argento aurove signatus: sed PRISCUS fuit MOS, ut sibi, quae quisque vellet, per commutationem, bubus, seruitiis, RUDI ARGENTO et AURO, ultro citroque datis et acceptis, compararet.*

VII. Operae pretium est, hunc morem, quem priscum vocat Pausanias, quod eo solo antiquitas usa sit ante pecuniam inventam, attentius considerare, et exemplis quibusdam, si fieri possit, confirmare. Duplex autem erat secundum Pausaniam: Alius res rebus permutabat: Alius pro re aurum et argentum reponebat vel accipiebat. Priorem morem tenuere omnes populi antiqui, pauperes et opulenti, hoc est, non ii tantum, quibus natura aurum et argentum negaverat, quos necessitate quadam permutatione mercium usos esse, etiamsi id nulla Historia commemorasset, per se manifestum est: Sed etiam ii, quibus natura aurum et argentum abunde concesserat. Quod ne gratis dixisse videar, verba Pausaniae, quae cum allegatis proxime cohaerent, adscribam: *Quin et ab Indis referunt, qui ad ea loca navigarunt, pro Graecorum, quae illuc comportatae fuerint, rebus, reponi Indicas merces: nummum vero illos plane ignorare, etsi abundet ea orbis terrae pars* Mela L. 3. C. 7. *auro et aere.* Videtur autem indicare *Seres*, quos Mela scribit, commercium rebus in solitudine relictis absentes peragere.

VIII. Sed

VIII. Sed quicunque illi fuerint Indi vel pars Indorum, consilio an ignorantia a commercio auri abstinentes, dubium non est, quin paulatim congressu Graecorum dociliores facti, tandem Indicum aurum pro mercibus Graecis reposuerint. Nam hunc commercandi morem, quem alterum priscorum esse diximus, tenuerunt omnes populi opulenti, et qui cum illis commercia exercuerunt *Phoenices*, *Tyrii*, *Poeni*. Hos enim non tam mercium peregrinarum, quam auri argentique desiderio ultima Terrae loca navigationibus accessisse, nemo facile negabit, qui, quanta in admiratione haec metalla fuerint antiquitus ante inuentam pecuniam, secum perpendere voluerit. Perspicuum et antiquum exemplum, ex quo caetera a vetustissimis Scriptoribus commemorata Gentium cum Gentibus commercia aestimare licet, refert Herodotus ex ore Carthaginiensium his verbis: *Aiunt praeterea Carthaginienses, locum esse Lybiae extra columnas Herculis habitatum hominibus: eo quoties ipsi applicuere, se merces e navibus exponere, easque in crepidine terrae deinceps collocare: tum conscensis navibus fumum excitare: fumo autem conspecto, indigenas ad mare contendere: dehinc auro pro mercibus deposito, rursus abscedere, sed non extra conspectum; tum se illinc e navibus egressos pretium considerare, et, si dignum mercibus videatur, eo sumpto abire.* Ex quo loco non solum id, quod probare suscepimus, sed etiam hoc patet, quod prima in orbe commercia non pecuniae causa, quam nondum noverant mortales, nec habere desiderabant, sed propter aurum et argentum, substantiam illam pretiosam, ex qua primo vestes splendidas et vasa pretiosa, et postremo ipsam pecuniam, quamvis serius, effingebant, suscepta sint.

Herod. L. 4 c. 196.

IX. Reliqua Pausaniae verba *de nummo aureo et argenteo nondum signato*, non ita accipienda sunt, ut sensus inde absurdus et auctore suo indignus emergat. Non hoc voluit aut voluisse putandus est Pausanias, quod Polydori aevo nondum fuerit nummus aureus et argenteus ab ullo mortalium signatus, qui nummos Phidonis pridem percussos ignorare non poterat: sed

quod Lacedaemonii tempore Polydori alios nummos quam ferreos nondum signassent. Id quod verissimum, et observatione dignum erat, quia postera Lacedaemoniorum aetas alios tulit homines, qui, spretis maiorum institutis, non amplius ferreos, sed aereos, aureos, et argenteos nummos percutiebant. Et hinc etiam intelligimus, quod nummus ille aereus apud Goltzium, in quo Caput laureatum conspicitur cum epigraphe: ΠΟΛΥΔΩΡΟΥ, et in auersa parte Eques galeatus et hastatus, virum armatum prosternens, cum Epigraphe: Λ Α Κ Ε Δ. non ab ipso Polydoro, nec a severis illis Lacedaemoniis, qui virtutem eius militarem, et iustitiam cum summa comitate coniunctam, coram admirabantur; sed ab eorum posteris, priscae paupertatis pertaesis, in memoriam Polydori percussus fuerit.

Goltz. Gr. Tab. XI.

CAPUT II.

DE PECUNIA VIVA.

I.



Homines utilia utilibus permutasse, antequam splendida illa metalla, aurum et argentum, ad cultum vitae accederent, dubio caret. Verum, cum res rebus difficulter permutari possint, nisi fuerit aliqua norma, qua rerum inaequalium pretia ad aequalitatem redigantur, inquirendum ante omnia est, quaenam fuerit aut esse potuerit illa norma, auro et argento anterior? Hanc autem facile invenimus, modo ad id, quod nemini, qui meditari voluerit, ignotum esse potest, attendamus scil. quod ante aurum et argentum primae et solae et gratissimae et aestumatissimae mortalium opes fuerint pecudes, armenta, greges. Nam hoc, ut par est, concesso, alterum, quod consequens, facile perspicimus, quod norma pretii, quam quaerimus, non aliunde, quam e re pecuaria, desumi potuerit.

II. Videa-

II. Videamus, quomodo BOS et OVIS (nam ab his ordiendum nobis eſt) ad hanc auctoritatem communi conſenſu pervenerint? Homines et pecudes a primordio Mundi ſimul fuiſſe, certum eſt. An vero ſemper et ubique ſimul habitaverint, ſic ut unus idemque manendi locus

ignemque laremque
Et pecus et Dominos communi clauderet umbra,

Iuvenal. Sat. 6.

incertum eſt. Saltim Varro id negare videtur, et priſcum hominum ſtatum, a quo praeſens dependet, in tres gradus, ne quid ſubito fiat, diſpeſcit, *naturalem*, *paſtoritium*, *ruſticum*. Sic enim philoſophatur: Vitam humanam gradatim deſcendiſſe a ſumma memoria ad hanc aetatem; ſummum gradum fuiſſe *naturalem*, cum viverent homines iis rebus, quas terra ſponte proferret: ex hac vita homines deſcendiſſe ad *paſtoritiam*, cum ex animalibus ſylveſtribus ea, quae maxime utilia videbantur, caperent, includerent, manſuefacerent: tertio denique gradu a vita paſtorali deſcendiſſe ad *agriculturam*, et quo deſcenderant, ibi longius proceſſiſſe, donec ad nos perveniret.

Varro Lib. 2 de R. Ruſt. Cap. 1.

III. In qua ſcala nihil eſt, quod iure reprehendi poſſit, ſi humanum genus in eo, quo fuit, ſtatu primis poſt diſperſionem Gentium aetatibus conſideretur. Nam ut agriculturam nunc mittam, quid vita paſtorali celebrius in omni retro Hiſtoria, etiam Sacra? Quis Scythas Nomades, quis regnum Paſtorum in Aegypto ignorat? Quis non Iudaeos, imo etiam Romanos, a paſtoribus ortos fatetur *)? Quid magis apertum, quam principes viros temporibus Troianis hanc vitam nobilitaſſe? *Illis temporibus*, inquit Pauſanias, *praecipuum divitiarum ſtudium fuit, luculenta habere equorum et boum pecuaria:* In urbe Pyli oſtendi ſpeluncam, in qua Neſtoris et ante eum Nelei patris boum ſtabulum fuiſſe dicunt: Neleum boves Iphicli (quas praeſtantiſſimas et latis frontibus inſignes fuiſſe, ex Odyſſea diſcimus)

Gen. XLVI, 34. Homines paſtores ſunt ſervi tui ab adoleſcentia noſtra, tum nos, tum maiores noſtri.

Pauſ. Lib. 4. cap. ult.

Odyſſ. Lib. 11.

*) Varro loc. cit. *Romanorum populum a paſtoribus ortum, quis non dicit?*

mus) adeo expetiviſſe, ut filiam tanquam mercedem promiſerit, qui boves illas abegiſſet: Herculi etiam imperaſſe Euryſteum, ut ex Iberia boves, quas eximia ibi ſpecie eſſe compererat, ad ſe abigeret: Eiusdem pecoris ex Erythea abacti mira fuiſſe incenſum cupiditate Erycem in Sicilia, vel hinc conſtare, quod, cum in luctae certamen cum Hercule deſcendiſſet, hinc Herculis boves, illinc Erycis regnum, praemia victori propoſita fuerint.

IV. Homerus praedium ruſticum viri divitis (πολυπάμμονος ἀνδρὸς) ita deſcribit, ut divitias eius ex multitudine et clamore pecudum ſtatim agnoſcas: *In aula locupletis viri ſtant oves innumerae, dum mulgentur lac album, continuo balantes, audita voce agnorum.* Quam dives pecudum fuerit Ulyſſes, ex enumeratione Eumaei porculatoris, qui princeps paſtorum eius erat, liquet. Is Domino ſuo, quem Regem et Principem (ἄνακτα) vocat, tribuit XII. armenta boum, totidem greges ovium, totidem ſuum, et XI. greges caprarum. Greges autem ſuum in totidem haras erant diſpoſiti, quarum ſingulae quinquaginta ſues foeminas continebant. Sues autem mares, quorum numerus quotidie a procis convivantibus minuebatur, extra haras iacebant in area praedii, trecenti ſexaginta numero. Iam ſi in ſingula ſtabula totidem capita computentur, quantus inde pecudum numerus exſurgat, in propatulo eſt. Et haec quidem enarrat Homerus in decimo quarto Odyſſeae. Deinde ex nobilioribus et potentioribus alios vocat πολυάρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, alios πολύρρηνες, nominibus a multitudine pecudum, harumque generibus, effictis. Quod obſervans Varro, inde concludit, *illuſtriſſimum quemque de antiquis paſtorem fuiſſe.* Oporteret me totum Homerum deſcribere, ſi omnia eius dicta, quae Varroni favent, decerpere vellem. Puto autem, nos illis non magnopere indigere, cum ex hactenus dictis et poſtea dicendis, vitam veterum paſtoritiam, etiamſi vulgo pro fabula habeatur, verum hominum ſtatum fuiſſe, ſatis pateſcat.

Il. 4.

Odyſſ. Lib. 14. ab initio.

Il. 2. πολυάρνι Thyeſtae. Odyſſ. 11. πολύρρηνος Pelias.

Varro loc. cit.

V. Pri-

V. Primas autem pecudes non ultro venisse ad stabula hominum, sed in sylvis et montibus errasse, vel hinc manifestum, quia etiamnum dantur boves et porci sylvestres, et equi feri etc. Hinc studium *venationis* cum vita pastoritia antiquitus coniunctum fuisse, ut ferae in sylvis errantes capi et domari, et captae domitaeque utilitatibus humanis inservire possent, dubio caret. Hoc primum et vetustissimum *bellum*, hic primus armorum usus, quibus iam tum multi sibi famam comparabant, antequam in hominum perniciem converterentur. Et hinc porro obscurum esse nequit, quae ratio moverit antiquos, ut e feris pecudibus, quas prehendere aut mansuefacere poterant, prae omnibus *Boves* et *Oves* eligerent. Et OVIS quidem elogium fecit Varro his verbis: *Primum non sine causa putant Oves assumptas, et propter utilitatem, et propter placiditatem. Maxime enim hae natura quietae, et aptissimae ad vitam hominum, ad cibum enim lac et caseum, ad corpus vestitum et pelles attulerunt.* De carne nihil dixit, quia primi pastores illa abstinuisse creduntur. At quanto maiora praedicare poterat de BOVE, si voluisset? Cuius prima laus est, quod magnitudine corporis et copia lactis oves omnes longissime post se relinquat, et pro lana corium et strata [b] ad tutelam corporum subministret: altera, quod iugum hominis pati, onus recipere, et carpentum trahere possit. Nam de aratro, quod ad tertium vitae gradum spectat, nihil nunc commemorare possum, etiamsi non ultima bovis laus sit, hominis in opere rustico socium et Cereris ministrum esse. Quae dum mecum perpendo, plane persuasus sum, primos vitae pastoritiae cultores, cum tot et tanta commoda ex bove ad possidentem redire intelligerent, bucerum pecus prae omnibus feris in sua stabula recepisse, et maximum ei pretium ob tantam praestantiam statuisse. Qua in re eos naturam ducem secutos esse, nemo opinor negabit.

Varro l. c.

VI. Ante-

b) Pelles bubulas veterum strata fuisse, satis notum. Exemplum Diomedis vide in Decimo *Iliados*, non procul ab initio.

VI. Anteqvam ulterius progrediar, necesse est, exemplis aliqvot ex ultima antiquitate petitis ostendere, qvod numero boum oviumqve pretia rerum metiri, moris recepti fuerit. *Supra cap. 1. §. 6.* Et *Bovem* qvidem maioribus rebus comparandis adhibitum esse, iam supra patuit exemplo domus Polydori, qvam uxor eius certo boum numero emit. *Boves pretium fuere.* *Oves* autem minoribus rebus adhibitas fuisse, aut pretium bovis ovibus aequatum esse, etiamsi proportionem, quae est inter *Bovem* et *Ovem* nondum sciamus, credibile est. Incipiamus ab *Ove*, ob antiquitatem testimonii, quod Sacris Literis, quibus nihil in orbe terrarum antiquius, continetur. De Abrahamo quidem, qui multum auri et argenti possidebat, quod nummo pensili usus sit, postea videbimus; sed de Iacobo, nepote eius, memoriae proditum est, quod partem agri *centum novellis ovibus emerit.* *Gen. XXX. Ios. XXIV, 32.* Qui Troianis temporibus vixerunt, qvamvis Iudaeorum Patriarchis longe inferiores, et auri argentique minime inopes essent, *oves* dedisse pro aliorum operis, *boves* pro rebus magis necessariis, frugibus, vino, imo etiam uxoribus et mancipiis, Homerus testatum reliquit; apud quem nomen *ovis* et *bovis*, quoties in emptionibus, contractibus, permutationibus aut donationibus (qvod saepe fit) adhibetur, nunquam *ovem aut bovem nummum*, sed *ovem et bovem animal* denotare, cuivis legenti perspicuum esse potest.

Il. Lib. ψ. VII. Exploratori *ovis* nigra cum agnello a singulis Graecorum Ducibus promittitur, tanquam merces laboris et periculi. Et alibi inter plures res, quibus Graeci vinum emunt, nominantur etiam *Boves.* Nam stante adhuc permutationis more, qvando boves in magnis negotiis vel non sufficiebant, vel non expetebantur, plurium rerum et venditori magis necessariarum retributione opus fuit, ut rem, quae in iure suo erat, alteri cederet. Sensum verborum Homeri optime et eleganter Latine
Il. L. 7. in fin. reddidit Gvil. Budaeus:

Affuit

Affuit ex Lemno ratibus tunc Copia vini,
Caesarie insignes redimunt hinc vina Pelasgi,
Pars dedit aes, nitidum aut ferrum, pars altera bubus
Tergora diripiens, hic protulit, ille agit ipsos
Ad naves tauros, hic bello corpora capta.

Qvod testimonium perperam in subsidium opinionis vocatur ab iis, qui pecuniae antiquitatem ad tempora usque Troiana extollunt. Nam dum *pellibus* detractis *boves ipsos* opponit Poëta, quod omnino facit his verbis:

Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,

quales boves intelligat, manifestum est, animalia scilicet, non numismata. Qvod etiam observavit Pollux, quamvis in opinando obscurus et in constans. *Iul. Poll. Onom. L. IX. c. 6. segm. 73.*

VIII. Et tales quoque boves fuisse, quibus vetustas coniuges et servas suas acquisivit, Poëta passim indicat. Quo pretio Rex Thraciae Cisseus filiam suam Iphidamanti nepoti suo desponderit, ex donis a sponso nuptiarum causa datis et promissis perspicuum est. *Multum autem dedit*, inqvit Homerus, *primum centum boves dedit, deinde mille capras et oves promisit.* Cui vero dederit, filiae an parenti? illiquidum. Sponsae dedisse, plerisque placet. Quae sententia vera esse potest, si Iphidamas praedium centum boum sponsae pro vitalitio dederit. Nam alia ratio, cur boves potius, quam res pretiosas, armillas et inaures dederit, excogitari nequit. Alii tamen quicquid horum est, parenti dedisse putant. Qvos inter Pausanias ita scribit: *Testatum etiam in Iliade reliquit Homerus, Iphidamantem Antenoris filium boves centum sponsalitium munus socero suo dedisse.* Cur socero? Nisi quia uxores emere, et pretium virginitatis parentibus aut proximis cognatis offerre, prisci temporis consuetudo fuisse creditur. Hoc quidam ex Aristotele et Thucydide, alii ex sacris literis, alii ex moribus et legibus veterum Germanorum confirmare nituntur. Quibus addere potuissent Linguam, *Il. Lib. 11.* *Pausf. Lib. 4. cap. ult.* *Gen. XXXIV, 12. 1 Reg. XVIII, 25.*

quia nuptiae etiamnum aliqua Germanorum Dialecto *Brudkaup*, h. e. emptio sponsae vocantur, sicut alibi [c] ostendo. Verum, si de usu Graecorum et vicinarum Gentium circa tempora Troiana quaestio sit, verisimilius est, in negotio matrimonii dona iugalia mutuo dari et accipi consuevisse, et maritum non solum uxori, sed etiam uxorem marito dotem attulisse. Idque colligi posse videtur ex splendidis conditionibus, quas Agamemnon
Il. Lib. 9. Achilli obtulit : *Tres mihi sunt filiae in domo bene composita, Chrysothemis, Laodice, Iphianissa. Harum quam velit dilectam sine dote* (ἀνάεδνον) *abducat in domum Pelei: ego vero dotem* (ἐπιμείλια) *addam ingentem valde, quantam nemo unquam suae dedit filiae, septem celeberrima oppida etc.* Et huc etiam nos ducunt tria filiarum epitheta apud Homerum. Nam quae nullam a marito dotem accipit, dicitur ἀνάεδνος, *indotata :* quae magnam
Il. Lib. 6. marito dotem affert, ut Andromache Hectori, πολύδωρος: quae vero pulchritudine sua lautam dotem apud procos inveniunt,
Il. Lib. 18. vocantur παρθένοι ἀλφεσίβοιαι, *virgines boum inventrices.*

IX. Quemadmodum autem sub permutatione antiqua merx et pretium mercis non tam distincte discerni poterant, ut postea sub nummo signato: ita servi modo erant pretium, ut su-
Sup. §. 7. pra in mercatu vini, modo merx, ut mox patebit. Mos antiquissimus fuit, exteris tantum uti ad servitia domus, sive bello captis, sive mercatu acquisitis. Ulysses in confabulatione cum
Odyss. lib. 14. Eumaeo subulco, *ô amice*, inquit, *quisnam te emit de rebus suis ?* Et rursus in ficta casuum suorum narratione : *me autem empta peperit mater pellex.* Omitto Mesaulium, quem Eumaeus apud Taphios emerat, quoniam in ipsa Ulyssis domo offert se anus Euryclea, nutrix quondam Ulyssis, et postea Penelopes ancilla, quae non fuit in domo Laërtis nata, sed empta, cum adhuc puella impubis esset. Quid pro illa dederit Laërtes, Homerus
Odyss. Lib. 1. in fine. indicat hisce verbis : ἐεικοσίβοια δ' ἔδωκεν. Non quod viginti boves,

c) In Gloss. Germ. voce *braut.* Confer ibidem voces *Reif, Morgengabe, Widum, Wittemon.*

bòves, ſed quod res alias, totidem bubus dignas, pro illa dederit. Nam haec eſt vis compoſiti εἰκοσάβοιον, ut rem viginti bubus aeſtimandam, non viginti boves ſignificet, teſte Heſychio. Quodſi Laertes non viginti boves, ſed pretium tantum viginti boum pro Euryclea dedit, manifeſtum eſt, bovem tunc temporis omnis pretii menſuram fuiſſe, etiam eius, quo homo emitur.

X. Eiusdem indolis compoſita, in quibus res dignationem ſuam a bove tanquam menſura accipiunt, plura apud Homerum occurrunt, praecipue in celebri illa armorum permutatione, quae fit inter Glaucum et Diomedem ex mutuo affectu, et pangendae amicitiae cauſa, de qua Poëta: *Tum Glauco mentem exaltavit Iupiter, ut cum Diomede arma permutaret, aurea aeneis, centum boves valentia, novem boves valentibus*, χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. Quidam interpretes hic pro vero bove ſubſtituunt neſcio quem bovem *didrachmum*, ab Athenienſibus cuſum, quibus favere videtur non Pollux modo, ſed etiam Plutarchus, quando ſcribit, Theſeum numiſma bove inſculpto percuſſiſſe, et ab illo τὸ ἑκατόμβοιον καὶ τὸ δεκάβοιον, hecatomboeum in Iliade, et decaboeum in Legibus Draconis denominari. Inquiramus, an Homerus ad hunc nummum reſpicere potuerit? Res Athenienſium, cum naves copiasque ſuas ad bellum ſociale Graecorum contra Troianos mitterent, ſatis florentes fuiſſe, nec Homero ignotas, ex Iliade liquet [d]. At eosdem hoc ipſo tempore monetam habuiſſe, quae ob bovem inſculptum BOS fuerit appellata, eamque compoſitis vocabulis ab Homero decantari, quibus indiciis conſtat? Cur bovem nunquam pro moneta ponit, cum bos Athenienſis (ut ſupponitur) in omnium manibus eſſet? Cur alium bovem quam naturalem ignorat? Cur antiquiſſimi Athenienſium nummi noctuam prae ſe ferunt, non bovem? Nonne inde manifeſtum eſt, bovem illum Athenienſem et didrachmum ex officina inter-

Il. Lib. 6.

Pollux Onomaſt. Lib. IX. cap. 6. Segm. 60. 61 Plut. in Theſeo.

d) Il. Lib. 2. in enumeratione navium.

pretum prodiisse, eumque in finem conflatum esse, ut verba Homeri explicare possent? Quae vero, ut recte intelligantur, hoc figmento minime opus habent, cum in statu permutationis, in quo homines suos collocat Homerus, Bos in compositis aliquid bove dignum significare possit. Quem sensum verbis Homeri tribuit quoque Hesychius in Dictionario: ΕΝΝΕΑΒΟΙΟΝ, ἐννέα βοῶν ἄξιον. ΕΙΚΟΣΑΒΟΙΟΝ, εἴκοσι βοῶν ἄξιον. ἙΚΑΤΟΜΒΟΙΟΝ, ἑκατὸν βοῶν ἢ πολλῦ ἄξιον.

XI. Restat, ut quae fuerit antiquitus inter *Bovem* et *Ovem* proportio, ex regione armentosa ostendam. Talem fuisse primis temporibus *Italiam*, vel nominis indicio patet. *Bos*, inquit Varro, *in pecuaria maxima debet esse auctoritate; praesertim in Italia, quae a bubus nomen habere sit existimata. Graecia enim (ut scribit Timaeus) tauros vocabat ἰταλὺς, a quorum multitudine et pulchritudine, et foetu vitulorum* ITALIAM *dixerunt.* Omitto nunc Romanae Urbis in medio Italiae sinu sub Rege Evandro *initia rustica* [e], et eam saltim aetatem considero, qua

Varro Lib. 2. de R. R. cap. 5.

Ovid. Fast. 1.

Iuppiter angusta vix totus stabat in aede,
Pascebatque suas ipse Senator oves,
Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,
Et foenum capiti supposuisse fuit,
Iura dabat populis posito modo Praetor aratro,
Et levis argenti lamina crimen erat.

Quibus temporibus id inprimis observatione dignum occurrit, quod tunc omnis *mulctatio* (vt Plinii verbis utar) *non nisi ovium*

Plin. Lib. XVIII. c. 3.

e) Virgil. Aen. VIII, 359.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri, passimque armenta videbant
Romanoque foro aut lautis mugire carinis.

um boumque impendio dicebatur. Nam ab his mulctationibus ad proportionem illam, quae inter utramque pecudem fuit ab antiquo, antequam ullus ex aere vel argento nummus existeret, ni fallor, perducimur.

XII. Proportionem illam *decuplam* fuisse, sic ut decem oves unum bovem redderent, et unus bos decem oves, inde concludi posse arbitror, quod antiquissimae Leges sub aere signato latae, eandem proportionem, ceu iugem et a maioribus traditam, in aestimando bove et ove custodiant. Minima mulcta, quando citatus non respondit, neque excusatus est, erat *unius ovis* in singulos dies, maxima *duarum ovium* et *triginta boum*. Verum cum saepe contingeret, ut penuria alterius pecudis tam pretium quam mulctae punitionem inaequalem redderet, *idcirca postea* (id est, postquam populus Rom. aere signato uti coepit). *Lege Aterina constituti sunt in oves singulas aeris deni, in boves centum*. Verba sunt Gellii, apud quem etiam reliqua, quae de origine vocis Italiae, de gradibus mulctarum, et occasione Legis ferendae dixi, reperiuntur. *Gell. Lib. XI. c. 1.*

XIII. Hanc Legem editio Petri Mosellani, qua utor, vocat *Aterinam*, Gronovii *Ateriam*, alia Pighio visa *Aretinam*. Nescio an ulla veraciter. Nam Festus eandem Legem, quamvis aliis verbis conceptam, *Tarpeiam* vocat, a Consule *Tarpeio*. Quem consulatum gessisse anno ab Urbe condita C C X C I X. nomen eius Lapidibus Capitolinis insculptum SP.. T A R P E-IVS. M. F. M. N. MONTAN. CA. *Spurius Tarpeius Marci Filius Marci Nepos Montanus Capitolinus*, declarat. Sed in eodem loco fractura Lapidis nomen Collegae sustulit, atque una alterum Legis nomen, quod haud dubie ab illo deflexum fuit, incertum reddidit. Nam quae a Scriptoribus traduntur nomina, cum multa sint ac diversa, in dubio relinquunt, quo modo defectus lapidis supplendus sit. Plinius Collegam Tarpeii vocat *A. Aeternium*, Solinus *Haterium*, Gellius meus *A. Thremum*, et alia editio *Thernium*, Cassiodorus *Aterinum*, et alia editio *Aterium*, Diodorus Sic. *Asterium*, Dionysius Halicar. *Terminium*. *Plin. Lib. VII. c. 28. Solin. cap. 1. Gell. Lib. II. c. 11. Cass. in Fast. Diod. Lib. 12. Dion. Hal. Lib. 10.*

Hard. Emend. X C I. Liv. Lib. III. c. 31.

nium. Harduinus *Aeternium* Plinii, quem etiam Livius Gruteri habet, emendationibus suis sustulit, et *Aterium* reposuit: sed ex coniecturis tantum. Nam Lapides Capitolinos, ad quos provocat, damno affectos esse vidimus. Nobis *Aeternius*, cum in ista nominum varietate aliquod eligendum sit, tamdiu probatur, donec indicium veri nominis aliunde patescat. Qua in re duces habeo Annales Pighii, et Fastos Almelovenii, qui imperium consulare huius anni hisce nominibus inscribunt:

Sp. Tarpeius Montan. Capitolinus.
A. Aeternius Fontinalis.

Et hactenus etiam Antonio Augustino adsentior, qui hanc Legem ab utroque Consule *Tarpeiam Aeterniam* vocat.

XIV. Una certe Lex est, quamvis duobus nominibus insignita. Quod, ut manifestum fiat, necesse est, verba Legis, prout a Festo recitantur, adscribere, et a partibus spuriis, quas aliena manus synceris admiscuit, liberare. Sic autem sonant f): *PECULATUS furtum publicum dici coeptus est a pecore, quia ab eo initium eius fraudis esse coepit. Siquidem ante aes et argentum signatum ob delicta poena gravissima erat duarum ovium et viginti boum. (Eam Legem sanxerunt T. Menenius Lanatus et Sestius Capitolinus Consules.) Quae pecudes, postquam aere signato uti coepit populus Romanus, Tarpeia Lege cautum fuit, ut bos centussibus, ovis decussibus aestimaretur.* At qui fieri potest, ut T. Menenius et Sestius Capitolinus, quos Tarpeii et Aeternii in Consulatu sequentis anni successores fuisse, fide Annalium constat, Legem de mulcta gravissima, aere signato longe antiquiorem, sanxerint? An dicemus, Festum sibi non constare, et in eodem loco contraria Fastis et sibi scribere? Verosimilius est, locum depravatum esse, et parte e margine in textum intrusa (quam hic cancellis includi curavimus) laborare.

f) In voce *peculatus*: cum qua conferendae voces *multam*, *ovibus*, *aestimata poena etc.*

borare. Tollamus eam de medio, et extrema apte cohaerebunt. Nam peculatus eſt, quando populus fraudatur. Quod ante Legem Tarpeiam in mulcta pecorali frequenter factum eſſe ſupponitur. In auctoribus tam graviter afflictis, qualis eſt hic Feſtus, quae medicina ſanari non poſſunt, enſe reſecanda ſunt.

XV. Hanc interim Legem, et hos Conſules, dum pretium *ovis* denis, *bovis* centenis aſſibus aequant, eam proportionem non noviter excogitaſſe, ſed iam uſu ſtabilitam inveniſſe, et mulctis tantum accommodaſſe, vel hinc patet, quod ante quinque et quinquaginta annos, hoc eſt, anno U. C. CCXLIV. quo P. Valerius Poplicola conſulatum geſſit, *ovis* decem obolis, *bos* centum aeſtimatus ſit, memorante Plutarcho in Vita eius. *Plut. pag. 103.* Eandem proportionem diu poſt in ſignandis nobilioribus metallis, ceu ſacrum et antiquum Numerum, obſervatam fuiſſe, vel hinc manifeſtum eſt, quod in prima ſtatim nummorum nobiliorum aetate ſancitum ſit, vt argenteus decem aereos, aureus decem argenteos valeret. Vitruvius: *Noſtri primo DECEM fecerunt, ANTIQUUM NUMERUM, et in Denario denos aereos aſſes conſtituerunt.* *Vitruv. Lib. III. c. 1.* Plinius: *Placuit, denarium pro decem libris aeris eſſe.* *Plin. Lib. XXXIII. c. 3.* Livius de pecunia ab Aetolis ſolvenda: *Pro argento, ſi aurum dare mallent, darent, convenit: dum pro argenteis decem aureus unus valeret.* *Liv. Lib. 38. c. 11.* Conditionem, quam Livius in nummis, Polybius in pondere exprimit: *Ut pro tertia parte argenti aurum, ſi dare mallent, darent: dum pro denis argenti minis unam auri minam penderent.* *Polyb. in Excerpt. Legation. XXVIII.* Hinc *Denarius* ſtylo monetali Romanorum proprie eſt omnis nummus, qui decem inferioris metalli reddit, et uſurpatur non ſolum de argenteo, qui decem aereos, ſed etiam de aureo, qui decem argenteos reddit. Huiusque loquendi uſus teſtis luculentus eſt Plinius, quando Hiſtoriam monetae Romanae ſic orditur: *Proximum ſcelus fecit, qui primus EX AURO DENARIUM ſignavit.* *Plin. loc. cit.* Harduinus, qui eam Hiſtoriae Plinianae partem perpetuis notis illuſtravit, fatetur, nummos ex auro quoque *denarios* appellari, idque pluri- *Hard. de re Monet. vet. Rom. ex Plin. Sec. ſententia.*

bus testimoniis ex Petronio, Didymo, et ipso Plinio productis, demonstrat. Et huius proportionis, quae est in nummis, vix aliam aut commodiorem dari posse rationem, praeter hanc Varronis, OMNIS PECUNIAE PECUS FUNDAMENTUM, hactenus mihi persuadeo.

Varro de R. R. Lib. I. c. 1.

CAPUT III.

DE PECUNIA PENSILI.

I.



Nummum cusum praecessit alius non-cusus, et de eo demum recte dicitur, quod in locum antiquae permutationis successerit. Natura enim non facit saltum, sed ordine et gradatim procedit in producendis varietatibus suis. Et sicut argentum antiquius est forma impressa: ita nummus cusus haud dubie posterior est non-cuso. Nummum autem non-cusum appello, qui appendi tantum, non numerari potest, nisi per uncias, libras etc. Talis est omnis auri argentique massa rudis, parva vel magna, tenuis vel solida. Quae etiamsi non sit nummus signatus, dici tamen nummus potest, quia omnia habet nummi, excepto signaculo, et quantitate numerabili. Nam et substantia est omnium opinione pretiosissima, et omnium rerum valorem reddit.

II. Ab initio aurum et argentum videtur se sponte obtulisse mortalibus, sive in fluviis, quorum aliqui etiamnum auriferi sunt, sive in ruinis et cavernis montium, sive in superficie terrae. Lydos ramenta auri colligere e Pactolo, Indos in solitudine arenosa, scribit Herodotus. Postea itum est in viscera terrae, et in tenebris quaesitum, quod natura aspectibus negaverat g). Quo tem-

Herod. Lib. 1. c. 93. Lib. 3. c. 102. Lib. 5. c. 101.

g) Plinius Lib. XXXIII. in Prooemio: *Imus in viscera terrae, et in sede manium opes quaerimus.*

tempore aut quibus auctoribus aurum argentumque in venis rimari coeperint mortales, non liquet. Credibile eſt, hunc auſum valde antiquum eſſe, et longe tranſcendere omnia nomina a Scriptoribus memoriae tradita [b]. Nam amnes auriferi e montibus defluentes, accolas ſuos ad montes ipſos ſcrutandos naturaliter invitabant. Denique eandem ob cauſam ſuſcepta ſunt immenſa itinera in regiones auri argentique feraces. Unde mihi Hebraei argentum videntur ſapienter appellaſſe *keſeph* a *kaſaph*, quaſi bonum, quod ab omnibus appetitur. Cauſas aeſtimationis tam univerſalis, ſi quis inveſtigare velit, facile inveniet. Nam ſplendida et diuturna amare, et corruptibilibus anteferre, nonne naturale eſt? Primi igitur mortales, cum aurum et argentum admirantes adſpicerent, quod ſplendore ſuo ſyderum pulchritudinem, flavedinem ſolis et candorem Lunae referrent, et experientia edocti eſſent, quod ignem tranſirent illaeſa, quod arte fabrili tractari, et in quaſcunque formas conflari poſſint, et quod nec ſitu nec rubigine corrumpantur: non poterant non haec naturae dona, tam raris virtutibus praedita, magnifacere, et in aliquem uſum, ſive *ornamentorum*, ſive *commerciorum* convertere.

III. Mitto nunc annulos, armillas, torques, et ſimilia ſive digitorum et lacertorum, ſive colli et capitis vincula vetuſtiſſima, de quibus alibi aliquid dicam: et maſſulas auri argentique rudes, informes, et infectas conſidero. Has enim, quamvis nullo ſigno conſpicuas, ante pecuniam inventam in commercium privatorum veniſſe, et vicem nummi ſignati in pretio reddendo obiiſſe interpoſita libra, ex antiquiſſimi temporis Hiſtoria tam ſacra quam profana, manifeſtum eſt.

b) Plin. Lib. VII. cap. 56. *Argentum invenit Erichthonius, Athenienſis, ut alii Aeacus. Auri metalla et conflaturam Cadmus, Phoenix, ad Pangaeum montem: ut alii Thoas et Aeacus in Panchaia.* Hyginus fab. 274. *Sacus, Iovis filius, in Panchaia in monte Taſo aurum primus invenit. Indus Rex in Scythia argentum primus invenit, quod Erichthonius Athenas primum attulit.* Caſſiodorus Lib. 4. Var Epiſt. 34. *Primi dicuntur aurum Aeacus, argentum Indus Rex Scythiae reperiſſe.*

IV. Incipiamus ab Abrahamo, Iudaicae Gentis conditore. Is locum ſepulturae non *pecunia*, non *moneta publica*, quibus vocibus Verſio Vulgata, quamvis intempeſtive, in hoc negotio utitur: ſed argento librae appenſo mercatus eſt, Gen. XXIII, 16. Cuius loci interpretationem, prout eam a Viro ſacri ordinis doctiſſimo et Hebraicae Linguae peritiſſimo accepi, apponere conſultum duxi, quod pleraeque Verſiones hic omnia perturbent. *Abrahamus obedivit Hephroni, et appendit ei argentum, de quo dixerat in auribus filiorum Cheth, quadringentos Siclos argenti transeuntis Mercatori.* Nulla hic pecuniae nec monetae publicae, ſed Sicli tantum, et argenti tam appenſi quam transeuntis mentio fit. *Siclus* autem lingua et uſu Hebraeorum eſt certum et definitum pondus, et dicitur *Schekel*, a *Schakal* appendit, ſicut pondus a *pendo*. Argentum vero *tranſiens Mercatori*, non eſt argentum ſignatum, quale iam tunc fuiſſe demonſtrare, nequit: Sed argentum Mercatoribus et argentariis probatum, ſeu tale, quod iudicio eorum ab emente ad vendentem tranſire poterat. Hos enim eius rei in iſta mundi aetate competentes iudices fuiſſe, quod mercimonia cum Aegyptiis, Arabibus, Phoenicibus exercerent, et argenti explorandi examinandique modum optime intelligere crederentur, prorſus probabile eſt. Et tametſi hodie non niſi argentum ſignatum *tranſiens* appelletur, Germanis *geng* et *gangbar*, ab itu redituque, Gallis *courant*, a motu et curſu publico: olim tamen omne argentum probum et mercatui idoneum, ſic appellari potuiſſe, dubio caret. Omitto difficultates, e quibus ſe haud ita facile expedire poſſunt, qui argentum Abrahami pro moneta publica accipiunt. Cur enim appenderetur, quod numerari poſſet? Cur ſignaretur, ſi nulla ſigno auctoritas, niſi Mercator probauerit?

V. *Libra*, quamvis in negotio Abrahami indicta, mente tamen intelligitur. Idque inſtrumentum videtur primitus hanc praecipue ob cauſam inventum, ut aurum et argentum duobus modis in commercium venire poſſent, tanquam merx, et tanquam pretium mercis. Quod fieri ſine libra inter privatos non poterat.

poterat. Nam ſicut auri et argenti pretium a certa et definita quantitate eius dependet; ita quantitatem metiri ſine pondere, et pondus ſine bilance, impoſſibile erat. Vetuſtiſſimos Graeciae incolas eodem invento in commerciis uſos eſſe, dubitare non poſſum. Iam enim Libram apud Homerum invenio in manu pauperculae mulieris, lanam appendentis, ut mercedem laboris recipiat, victum puta, quem ſibi liberisque nendo quaerebat. Quam ipſam Homeri matrem eſſe volunt interpretes, a filio immortali operi intextam, ut virtutes eius ſub aliqua imagine poſteris commendare poſſet. Invenio etiam Libram in manu Iovis, fata Achillis et Hectoris ponderantis. Sed non invenio, fateor, qui aurum vel argentum pro re vendibili libra rependat, ſive quia hic mos temporibus Troianis nondum ubique invaluit, ſive quia in iſta Poëmatis anguſtia, Iliados inquam Homericae, quae vix quinquaginta dierum ſpatium complectitur, non omnia commemorari poterant, quae inter tot Graeciae Gentes diverſas, et bello ſociali iunctas, moribus recepta erant.

Il. L. 12. in fin.

Il. Lib. 22.



VI. Illud vero memorabile et obſervatione dignum puto, quod tempore belli Troiani aurum et libra in ſatisfactione iudiciali locum habuerint. Nam in Clypeo Achillis, admirando illo Vulcani opere, et totius mundi ſimulacro, inter alia repraeſentatur Iudicium, et in medio Iudicum conſeſſu *duo talenta auri*, pretium hominis occiſi, et iuxta aurum duo viri de mulcta litigantes, quam propinquus occiſi ſe nondum accepiſſe, alter iamdum ſolviſſe affirmat. Nonne ex hac imagine manifeſtum eſt, compenſationem homicidii eo tempore, quo ſcutum Achillis fabricatum fingitur, in aliqua Graeciae civitate, non armentorum numero, ut olim, ſed certa et definita auri argentive quantitate fieri conſueviſſe interpoſita Libra? Quod ſi auri rudis in foro tam ſpectabilis uſus fuit Achillis aevo, cur non etiam extra forum? An haec fingi poterant ab Homero contra omnium populorum mores et inſtituta?

Il. Lib. 18. circa fin.

VII. Veteres interpretes Civitatem Clypei accommodant *Athenis*, et ſacrum illum Seniorum Circulum, a Poëta deſcriptum,

 Areopago,

Areopago, ubi primum Capitis iudicium factum aiunt de caede Hallirrhothii a Marte interfecti, quorum rationes attulit Spondanus in notis, et ex Pausania confirmavit. Sed quod ibidem *duo talenta auri* in medio Senatu posita, ad mercedem Iudicum, et non ad redemptionem accusati referuntur, probare non possum. Quae prima Homerum Gallice loqui docuit doctissima *Dacieria*, hanc auri depositionem ex consuetudine fori antiqui explicare conatur. Quod per me licet. Verba eius, quia simul duobus talentis lucem aliquam foenerantur, hic legere iuvat. *Talenta illa non sunt destinata Iudicibus, nec illi, qui melius sententiam, sed qui melius causam suam dixerit coram iudice. Mos enim erat antiquus, certam summam in Iudicio deponi a litigantibus, ut ei, qui causa superior esset, cederet. Summam eam mille drachmarum seu centum scutatorum fuisse, ex loco quodam Apologiae Socraticae apud Platonem apparet. Et hoc verisimiliter est id, quod hic Homerus duo Talenta vocat. Quod de veris Talentis intelligi non debet.* Verba ultima de Talentis non veris neminem debent suspensum tenere. Nam Talentum vi appellationis est pondus, a ταλᾶν, ferre, sic dictum, quod librae appensum res leviores in altum tollat. Et primis quidem temporibus Talentum non fuisse nomen *numeri*, sed *ponderis*, et longe minoris, quam postea, Iulius Pollux docet, et ex ipso Homero confirmare satagit, iis tamen verbis, quae valorem Talenti nimis deprimunt. *Quod autem apud eos, qui Homeri tempore vixerunt, Talentum quam minimum valuerit, ex Equorum cursu coniicies, in quo tertium bravium est lebes, quartum auri duo Talenta.* Respicit ad cursum Equorum in funere Patrocli, vel potius ad praemia velocitatis ab Achille sociis proposita, ex quorum gradatione minutum Talenti pondus colligit. Verum cum tam leve Talentum non possit esse pretium hominis (nisi quis forte existimet, veteres tam iniquos rerum aestimatores fuisse, ut vilius homini pretium, quam lebeti, statuerint), necesse est, Talentum non eodem sensu ubique accipi apud Homerum.

Poll. Onomast. Lib. IX. Cap. 6. Segm. 55.

VIII. Sed

VIII. Sed misso paulisper Homero, revertamur ad Abrahamum, qui Genti Hebraeorum a se conditae perpetui moris auctor fuit, ut argentum in commerciis non numerarent, sed ponderarent. Quod cum ex vitis Patriarcharum, Historia Regum Iudaeorum, et vaticiniis Prophetarum, manifestum sit, illud quoque, quod inde consequitur, quodque pulchre vidit Conringius, obscurum esse nequit, scil. Hebraeos ante captivitatem Babylonicam nummis signatis nequaquam usos esse. Ratio, cur nummus signatus esse non possit, ubi ponderatio obtinet, in eo consistit, quod signum nummo a prima institutione publice impressum fuerit, sicut Aristoteles in Libris de Rep. sapienter docet, *ἥνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτὲς*, *ut homines a mensuratione eius liberarentur:* quod talis nummus sit publicus fideiussor, nos minime decipi, et quod de fide eius dubitare nemini impune liceat. Quibus positis et consideratis, ponderationem excludi necesse est. Relandus, qui antiquitates Iudaicas omnibus modis investigavit, praeter ponderationem antiquam, etiam hoc urget, quod nusquam in sacro Codice Veteris instrumenti (cuius Historia a mundo condito ad rudimenta Templi secundi protenditur) nummos cusos esse legamus; unde se tuto concludere posse credit, aetatem nummorum cusorum apud Hebraeos ad tempora Templi secundi referri debere: et si qui sint aut circumferantur nummi, sive Hebraeis sive Samaritanis literis inscripti, qui antiquiora tempora simulant, eos omnes a Iudaeis recentioribus lucri causa confictos esse. Fortunatum vero Scacchum, qui usum Monetae signatae inde ab Abrahami aevo inter Hebraeos fuisse putat, prolixe refellit. Denique etiam hoc, quod talis moneta ad statum Reip. bene constitutum minime necessaria sit, exemplo Chinensium comprobare videtur, quorum mercatores hodienum stateram ubique secum circumferunt, qua pondus auri et argenti oblati examinent.

Gen. XXIII, 16. Exo. XXII, 17. I. Paralip. XXI, 25. 1 Reg. XX, 39. Esa. LV. Ier. XXXII, 9.

Herm. Conring. de Nummis Hebr. c. 6.

Arist. L. I. de Rep. cap. 6. Edit. Heins.

Adrian Reland. Diss. de nummis Samarit. ad Iacob de Wilde.

IX. Equidem vox Hebraea *keseph* interdum cum nomine numerali coniuncta legitur, quod contrariae sententiae patroni fieri

fieri posse negant, nisi certi valoris argenteum denotet. Hinc quando legunt, Abimelechum Sarae donasse *mille kesepb*, et Iosephum a fratribus *viginti kesepb* venditum esse, hoc de pecunia signata accipiunt. Verum, cum minime verosimile sit, usum eius iam tum in Palaestina et Aegypto invaluisse, et tot saeculis ante, quam apud Graecos finitimos, quorum vetustissimi nummi Bellum Troianum non attingunt; tutissimum est, sacras Literas ita interpretari, ut quam minime tam a se ipsis, quam a profanis discrepent. Quid obstat, ne argentum accipiamus pro *Siclo*, seu certi ponderis argento? Quid hac synecdoche usitatius?

Gen. XX. Gen. XXXVII.

X. Apud Graecos omnia fere nummorum genera appellationes suas sortiuntur a pondere, δραχμὴ, στατὴρ, λίτρα etc. indicio haud obscuro, ponderationem auri et argenti longo temporis intervallo pecuniam signatam antecessisse, et sero tandem factum esse (quod in aliis quoque rebus usu venire solet) ut pristina vocabula, quamvis mutato more, novo invento adhaeserint. Quibus gradibus nummus perveniret ad Graecos, nemo melius Aristotele, cuius in aestimandis rebus, non naturalibus tantum, sed etiam civilibus, summa prudentia est, definivit, qui, dum utilitatem et originem nummi contemplatur, primo loco nominat *commutationem*, deinde *pondus*, postremo *formam impressam*, qua homines a ponderatione liberantur. Nec alio ordine pecunia venit ad Romanos. Qui, etiamsi aureos et argenteos nummos ad annum usque quingentesimum Urbis conditae ignorarent, auro tamen et argento tanquam nummo interposita libra utebantur, si non in quotidianis, certe in publicis necessitatibus, quod vel pax de Gallis *mille pondo auri* empta testatur. Ut redemptiones captivorum, quae in ista pecuniae penuria sine argento librae appenso fieri non poterant, omittam.

Arist. de Rep. Lib. I. c. 6.

Liv. Lib. V. c. 48.

XI. An etiam aes et ferrum rude antiquitus inter nummos pensiles locum habuerint, ob vilitatem materiae dubitare licet. Homerus quidem inter alias res, quibus Graeci in obsidione

ſidione Trojana vinum ſibi comparabant, aes et ferrum nominat,

Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Pars dedit aes; nitidum pars altera ferrum.

Verum cum aes et ferrum ſplendorem ſuum habeant ab arte fabrili, veroſimile eſt, eum de ſimplici permutatione loqui, qua res ex aere ferroque fabricatae more antiquo pro aliis rebus reponebantur ſine librae interventu. Timaeus, qui, prodente Plinio, Romanos ante aereum nummum a Servio Rege ſignatum, *aere rudi uſos credidit*, non videtur hoc Plinio perſuaſiſſe, qui appellare auctorem ſolet, cum propriam fidem obſtringere veretur, ſicut optime animadvertit Harduinus. Timaeus tamen fidem invenit apud recentiores ſcriptores, quod *aeris gravis* appellationem, quam apud Livium invenerant, de nullo alio aere quam rudi et informi accipi poſſe exiſtimarent. Supponunt ergo, *aeris gravis* appellationem cognitam uſitatamque fuiſſe, antequam ullus nummus ex aere exiſteret. Quod qui fieri potuerit, ego quidem ignoro. Nam ſi omne aes, quod ante Aſſem fuit, natura grave erat, nec aliud aeris genus mente concipi poteſt, niſi grave, ſupervacaneum erat, appellare grave, cui leve nullum oppoſitum erat. Aut ſi ſupervacaneum non fuerit, ſcire velim, quae ratio moverit antiquos, ut *aeris gravis* diſtinctionem, quae ante Aſſem nullius uſus aut neceſſitatis eſſe poterat, confingerent? Quod ſi nulla ratio ſufficiens excogitari poteſt, manifeſtum eſt, hanc appellationem nunquam de aere rudi, ſed de ipſo aſſe uſurpatam eſſe, nec aliter a Livio uſurpari. Nam quo tempore *aes grave* plauſtris ad aerarium convectum narrat, nummus aereus a Rege Servio ſignatus, quem Aſſem vocant, pridem in omnium manibus erat, nec alio aere opus erat ad tributum pendendum. Hoc eſt illud aes, quod Romani plauſtris aerario importabant, quodque ab Annalium conditore *aes grave* dicitur graviſſimas ob cauſas. Conſtat enim, hunc nummum fuiſſe *Aſſem libralem*, et poſteram aetatem Aſſes levi-

Plin. Lib. XXXIII. c. 3.

Liv. Lib. IV. c. 59. 60.

leviores percuſſiſſe, primo quidem *Sextantarios*, poſtea *Unciales*, denique *Seſcunciales*, ut infra ex Plinio oſtendam. Cum ergo Aſſes ſemper leviores fierent, vulgus Romanum, ut Aſſes leviores a gravioribus diſtingueret, aſſem graviſſimum, qualis omnino erat ille a Servio percuſſus, *aes grave* a pondere appellavit, et Livius cum vulgo, quamvis per anticipationem. Unde porro manifeſtum, quod *aes grave* opponatur levi, nequaquam vero ſignato. Quid ſit *aes grave*, et qua occaſione in leve mutatum ſit, praeter Plinium aperte ſatis declarat Feſtus his verbis: *GRAVE AES dictum a pondere, quia deni Aſſes, ſinguli pondo Librae, efficiebant Denarium, ab ipſo numero dictum. Sed Bello Punico populus Romanus preſſus aere alieno ex ſingulis Aſſibus librariis ſenos* (ſextantarios dicere voluit) *fecit, qui tantundem valerent* [i].

Infra Cap. 10.

XII. De forma nummi penſilis, quatenus auro et argento rudi definitur, cum pro naſcendi loco, aut libitu poſſidentis, varia eſſe poſſit, non opus eſt, aliquid dicere. Aliam figuram habet aurum e fodinis montium exciſum, aliam ramenta auri e fluminibus vel ſolo arenoſo collecta. Et nihil omnino obſtat, ne idem aurum, ſi forte fuerit impurum, aut in partes nimis minutas diviſum, aliam, quam a natura habet, formam a februatione, fuſione aut malleatione recipiat. Hinc celebri cuidam interpreti argentum, quo Abrahamus agrum emit, *laminas argenteas* fuiſſe aſſerenti, etiamſi id demonſtrari nequeat, concedere tamen poſſumus. Nulla enim ratio eſt, cur magis a *lamellis*, quam

Jo. Cleric. Pentateuch.

i) Feſto iungendus Gellius, qui *aes grave* per *aſſem librarium* explicat Lib. XX. Cap. 1. *Quod in iniurias factas quinque et viginti aſſibus ſanxerunt, non omnino omnes mi Phavorine iniurias aere iſto pauco diluerunt, tametſi haec ipſa paucitas Aſſium grave pondus aeris fuit. Nam librariis aſſibus in ea tempeſtate populus uſus eſt.* Non igitur *Aes grave* eſt maſſa aeris infecta, etiamſi ita ſentiat et doceat Servius ad verſ. 861. Aen. VI. et Iſidorus Lib. XVI. Originum Cap. 17.

quam a *globulis* aut *obelis* alieni ſimus, quos ante pecuniam ſignatam in uſu fuiſſe apud Graecos, veroſimile eſt. Nam ex globulis Phidonem nummos ſuos percuſſiſſe, poſtea oſtendam. *Obelos* autem ante fuiſſe, quam *Obolos*, et hos ab illis nomen accepiſſe, etiamſi tota figura differant, inter Literatos fere convenit. Potuiſſe etiam Mercatores, aut argentarios auri ſui argentique fruſtis ſignum ponderis imprimere, ſi quis hac coniectura ad aliquam Antiquitatis partem illuſtrandam opus habeat, tuto admittere poſſumus, modo abſit ſignum publica auctoritate impreſſum. Nam privatorum ſigna non faciunt nummum, nec uſum Librae inutilem reddunt. Et hactenus fruſta eorum, quocunque ſigno affecta, re vera ſunt nummus ἄσημος, qui appendi quidem, ſed non numerari poteſt.

CAPUT IV.

DE NUMMO SIGNATO, ET PRIMIS EIUS INVENTORIBUS.

I.



Tandem iuſto ordine pervenimus ad nummum ſignatum, cuius gratia caetera praemiſimus. Qui, cum totam vitae ſcenam mutaverit, et multa humano generi tam bona quam mala intulerit, ampliſſimam ſcribendi materiem de ſe praebet. Sed nobis tam longe excurrere non licet, et noſtro propoſito ſufficiet, ſi, cui bono, et quibus auctoribus inventus ſit, et quodnam aliorum de hoc invento iudicium fuerit, breviter oſtendamus.

II. Et primo quidem convenit inter omnes, qui Originem monetae ſcrutantur, uſum et neceſſitatem, ingenioſam illam omnium in vita commodorum matrem, nummi quoque inventricem fuiſſe. Nimirum uſus poſtulabat, ut commercia tam Gentium inter ſe, quam privatorum, interpoſitione alicuius rei

D 2 com-

compendiosae et portatilis, quae simul pretiosa esset, et omnium rerum valorem sine examine redderet, iuvarentur: necessitas vero, ut remedium extaret, quo permutationum difficultatibus, quae nec omnia, quibus indigebant homines, nec iusto et aequabili pretio reddebant, subveniri posset. Duplex autem erat necessitas, publica et privata. Publica, quia non omnis fert omnia tellus, nec omnia utilia ubique in promptu sunt. Saepe bonis exterorum opus habemus, et illi nostris. Externa autem importare, et nostra in longinquum transferre, nec facile nec expeditum erat sub prisca permutatione. Ideoque nummo opus fuisse, ut longe absentes indigentiis suis mutuo subvenire possent, Aristoteles concludit: *Nam cum externum auxilium expeteretur iis rebus, quibus egebant, importandis, et quibus abundabant, exportandis, necessario nummi usus comparatus est. Non enim facile est, ut, quae secundum naturam necessaria sunt, deferantur* etc. Per nummum autem intelligit argentum modicum et tractabile, nota definiti valoris insignitum, et consensu Gentium receptum, quo facilius ea, quae vellent, permutare possent. Quae clariora fient, si cum Paraphrasi Heinsiana contendantur. Alteram necessitatem, quae privatorum erat, eleganter describit Paulus Iurisconsultus: *Olim non erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur: sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilia utilibus permutabat, quando plerumque evenit, ut, quod alteri superest, alteri desit: sed quia non semper nec facile concurrebat, ut, cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cuius publica et perpetua aestimatio aequalitate quantitatis subveniret. Eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur.*

Arist. de Rep. L. 1. c. 6.

L. 1. ff. de contrah. empt.

III. Pecuniam hisce parentibus ortam esse, ipsa testatur, etiamsi libri omnes tacerent. Orta autem est arte et ingenio obstetricante, luxu et avaritia adplaudente, et maximo gaudio a plerisque excepta, quod non solum vota commercantium perfecte

fecte expleret, et emendi vendendique vices mire iuvaret, fed etiam viam ad divitias perveniendi, non mercaturae folum, et artibus quaeftuariis, fed omnibus univerfe vitae generibus, faciliorem redderet.

IV. Quinam fuerint tam admirabilis inventi primi auctores, fi quaeramus, diverfa refponfa accipimus, dum gloriam eius alii *Aegyptiis*, alii *Lydis*, alii *Theffalis*, alii *Athenienfibus* tribuunt. Plinius Pyramidum miracula *ftultam et operofam pecuniae Regiae oftentationem* vocat. Huetius vero, in Hiftoria Commerciorum et navigationis antiquae, pecuniae antiquitatem adeo extollit, ut ufum eius non illis tantum Aegyptiis, qui moles Pyramidales exftruxerunt, fed etiam iis, qui progenitoribus Iudaeorum, Abrahamo et Iacobo coaevi fuerunt, tribuat. Verum, ficut Plinius argentum Aegyptiorum in facies minutas concifum, *pecuniam* vocare poterat, quod vices pecuniae obiiffet, etiamfi illud haud fignatum crederet: ita credibile eft, facras literas, quoties in vitis Patriarcharum de pecunia loqui videntur, non fignatam, fed penfilem intelligere, et vetuftiffima commercia, non illi, fed huic foli, ceu fundamento fuperftructa fuiffe. *Plin. Lib. XXXVI. c. 12. Huet. cap. 6.*

V. *Aegyptios* primos omnium aurum argentumque fignaffe, etiamfi forte fint omnium vetuftiffimi, nefcio an ab ullo fcriptorum veterum memoriae proditum fit. Herodotus certe hanc laudem non Aegyptiis, fed Lydis afferit; ex adverfo Aegyptios defcribit tanquam homines ab aliorum hominum inftitutis prorfus alienos, et pleraque omnia a caeteris diverfa conftituentes. Quod etiam Strabo confirmare videtur, fcribens, prifcos Aegyptios fuis opibus contentos fuiffe, et importata aliena adeo non defideraffe, ut peregrinis navibus vix appulfum in littore fuo permiferint. Tanta fuit, in folo Nilo fiducia. Equidem Diodorum Sic. qui, ut ipfe de fe fcribit, regnante Aulete, feu Ptolemaeorum undecimo, in Aegypto fuit, Legem nummariam ibi invenit. *Illis, qui monetam adulterarent, aut nova fubftituerent pondera, aut figilla transfculperent* *Herod. Lib. I. c. 94. Lib. 2. c. 35. Strabo Lib. 17. Pag. 792. Diod. Sic. Lib. I. pag. 50.*

rent etc. Lex utramque manum praecidi iussit. Ut sic ea corporis parte quisque lueret, qua in Legem peccasset. Sed hanc Legem de adulteratoribus monetae non ab antiquis illis Pyramidum exstructoribus, nec ab iis Regibus, qui ante conditam Alexandriam sub Persarum imperio Aegypto praefuerunt, sed novissime sub Lagidarum Regno latam esse, tamdiu praesumere licet, donec contrarium aliunde probetur. Tribuitur autem Aegyptiis, sicut Lex Cornelia Romanis, etiamsi certum sit, primos Romanos pecuniam signatam ignorasse. Praesumptionem praebet, cum silentium Historiae, tum etiam hoc, quod nummum Aegyptium nemo unquam viderit ante Ptolemaeos sculptum, sicut nec Hebraeum ante Templum secundum, nec Atheniensem ante Bellum Peloponnesiacum. Quodsi usus monetae sempiternus fuisset in Aegypto, prodigio simile esset, cum tot nummos Ptolemaeorum Regum hodienum habeamus, nullum Aegyptiorum ante illos signatum, ex aeterna illa officina ad nos venisse, cum eodem itinere ad nos venire potuerint.

VI. Quod ad *Lydos* attinet, quamvis fides Herodoto haud temere deneganda sit, certum tamen est, eum interdum incomperta pro compertis commemorare, et nimia credulitate in mendacium incidere. Huiusmodi multa sunt apud eum, et verisimiliter etiam hoc, quod de Lydis scripsit, πρῶτοι δὲ ἀνθρώπων etc. *Primi hominum, quos novimus, nummo ex auro et argento percusso, usi sunt.* Quod eum ex relatu Lydorum accepisse, verba proxime sequentia arguunt, Φάσι δὲ αὐτοὶ etc. *Aiunt etiam ipsi, se ludos invenisse, qui etiam num apud Graecos cum illis communes sunt.* Et sic alia multa, tam vera quam falsa, quae Lydi de se ipsi praedicant, commemorat. Forte abundantiam auri apud Lydos considerans Herodotus, opinabilius censuit, primos aureos in regione aurifera, quam in Insula Graeciae auri argentique indiga, percussos esse. Hinc porro in rebus Phidonis commemorandis, mensurae tantum, non

Herod. Lib. 1. c. 94.

non ullius numiſmatis ab illo ſignati mentionem facit [k], etiamſi haec duo, ut infra dicetur, connexa ſint. *Infra Cap. 5. §. 4.*

VII. Unus Lucanus inventum monetae *Theſſalis* tribuit. *Pharſal. Lib. 6. v. 402.*

Primus Theſſalicae Rector Telluris Ionus,
In formam calidae percuſſit pondera maſſae,
Fudit et argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, et immenſis coxit fornacibus aera.
Illic, quod populos ſcelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum eſt.

Theſſaliae Regem *Ionum* nemo veterum novit nec nominavit praeter Lucanum. In nummis Theſſalorum hodieque reſiduis invenio Minervam habitu pugnantis cum clypeo et haſta effictam, adiecta epigraphe: ΘΕΣΣΑΛΩΝ. Quae poſſit eſſe *Minerva Itonia*, a Theſſalis, teſte Callimacho, Strabone, Stephano, culta, et ab urbe Theſſaliae Itona, in regione Pelasgiotide ſita, nomen adepta, quam urbem ab *Itono*, Amphyctionis filio [l] et Deucalionis nepote, exſtructam ferunt. Ludovicus Nonnius, qui pro ſua in Antiquitatibus Graecis peritia haec ad nummos Goltzii annotavit, eidem Itono verba adplicat Lucani,

Primus Theſſalicae Rector Telluris Itonus.

Verum, ſive *Ionum* ſive *Itonum* in mente habuerit Lucanus, ſcire velim, ſi prima moneta paucis a Diluvio Deucalioneo annis a Theſſalis percuſſa ſit, quos dicti ſponſores habeat Poëta? Quis ante vel poſt eum ſimilia ſcripto tradere auſus ſit? Aut ſi hoc illi fingere licuit, quo iure figmenta Poëtarum pro veris originibus nobis obtrudantur?

VIII. De

k) Herod. Lib. VI cap. 127. *Φείδωνος τὰ μέτρα ποιήσαντος Πελοποννησίοισι.*

l) Pauſan. Lib. IX. cap. 1. Ἰτώνου δὲ Ἀμφικτύονος ἄνακ λέγουσι.

Retro cap. 2. §. 10.

Plut. in Thes. pag. 11.

VIII. De Bove, *Atheniensium* nummo, vix operae pretium est, aliquid addere supra ea, quae iam retro diximus. Nam verba Plutarchi, qui primus huius nummi praeco, ita concepta sunt, ut satis pateat, se fidem dictorum in Grammaticos reiicere. *Theseus*, inquit, *signavit etiam nummum BOVE insculpto, aut propter Marathonium Taurum, aut propter Minois Ducem, aut ad agriculturam cives invitans. Ab illo autem Hecatomboeum et Decaboeum nominatum ferunt.* Interpretes Homeri totius figmenti inventores esse, vox *Hecatomboeum*, quamvis dissimulante Plutarcho, aperte satis prodit. Cum enim eam in permutatione armorum inter Glaucum et Diomedem apud Homerum reperissent, nec tamen compositionis eius rationem assequi possent, bovem nummum Etymologiae gratia confinxerunt, quod subducta temporum ratione, Homerus hunc bovem in componendo vocabulo respicere poterat, si Theseus, qui Remp. Atticorum ordinavit, illum percussisset. Et sic, quod primo fuit coniectura, postea pro certo dici coepit, tanquam auctore Homero. An Plutarchus hunc bovem recte adoptaverit, penes alios iudicium esto. Nobis vox Homerica non e bove nummo, sed contrario partu bos nummus e voce male intellecta prognatus videtur. Interim non negamus, bovem aliquando fuisse Monetam. Nam a bove moneta ortum est inter Graecos proverbium, βοῦς ἐπὶ γλώττης, quod torquetur in eos, qui pecunia corrupti tacent, cum loqui deberent. Idque genus monetae, effigie bovis signatum, quam frequens fuerit apud antiquos, ex nummis eorum hodieque residuis colligere licet [m]. Si ad hos boves attendisset Erasmus, fictitium illum Atheniensium bovem in explicatione Adagii non adhibuisset.

XI. Si

m) Boves conspiciuntur in nummis *Seleuci Nicatoris*, *Macedonum*, *Pellaeorum*, *Epirotarum*, *Sidoniorum*, *Deliorum*, *Pariorum*, *Gortyniorum*, *Icariorum*, *Andriorum*, *Istiaeensium*, *Corcyraeorum*, *Dyrrhachiorum*, *Apolloniatarum*, *Amphipolitanorum*, *Phaestiorum*, *Pyliorum*, *Magnetum*, *Thuriorum* etc.

IX. Si monumenta Graecorum Hiſtorica, quae vel Libris vel Lapidibus, vel ipſis Nummis continentur, invicem contendamus, haud obſcure patebit, primum nummum ſignatum eſſe a *Phidone*, alterum a *Lycurgo*, tertium ab *Alyatte*. Sed antequam hoc oſtendamus, conſpectu temporum nobis opus eſt, ex quo tanquam proſcenio intervalla, quibus Principes iſti vel a caſu Trojae, eiusque cantore Homero, vel a ſe ipſi, vel a noſtra aera diſtant, inſpectare poſſimus. Utar autem Canone Chronico Seldeni, qui, cum ex Marmore Chronico Academiae Oxonienſis concinnatus ſit, fidem et auctoritatem ſuam a tutiſſima temporum menſura accipit.

Period. Iul.	Ante Chriſt.	
3505.	1209.	Ilii excidium.
3807.	907.	Homerus floruit.
3819.	895.	Phidon Argivorum Rex nummum argenteum percuſſit in Aegina Inſula.
4109.	605.	Alyattes, Lydorum Rex in Dynaſtia Mermnadarum.

CAPUT V.

DE

NUMMO PHIDONIS.

I.



Cognita Phidonis aetate, nunc aliquid de ipſo dicendum eſt. Fuit is ex Herculis proſapia oriundus, ſed infelicitate Maiorum Regno Argolidis privatus: cujus recuperandi opportunitatem cum nactus eſſet, bello illud aggreditur, Argivos omnesque pene Peloponneſios ſibi ſubjicit, ludos Olympicos aliquandiu intermiſſos, inter Eleos longa pace torpentes, armata manu inſtaurat, et novum Regnum novis in-

ventis floridum famosumque reddit. Sed dum hoc agit, ab Eleis et Lacedaemoniis, sive invidia tantae prosperitatis, sive metu crescentis potentiae, incensis, de regno avito rursus dejicitur. Inventa eius sunt *moneta*, *pondus*, *mensura*.

II. Primam Monetae laudem Phidoni magna consensione asserunt, non Scriptores solum gravissimi, Ephorus apud Strabonem, et Strabo ipse, sed etiam Chronicon Asiae marmoreum, et nummus Phidoneus hodieque superstes, qui sive ab ipso Phidone, sive ab aliqua Graeciae civitate in honorem eius percussus sit, pro vero Antiquitatis cimelio haberi debet. Strabo Libro octavo: *At Pheido Argivus, decimus ab Hercule, et omnibus tempestatis suae Principibus, potentia praestans, urbes et totam Temeni successionem in plures divisam partes ad se recepit, et mensuras invenit, quae Pheidoniae dicuntur, atque pondera, et monetam cum aliam tum argenteam procudit.* Et multis interjectis: *Ephorus in Aegina primo argentum a Pheidone cusum fuisse scribit: cum ea insula facta esset Emporium, Insulanis ob terrae sterilitatem in mari negotiantibus: unde et dici coeptum, aliquem merces Aeginaeas* (ῥῶπον Ἀιγιναῖον) *vendere.* Quo consilio Phido in hac Saronici Sinus Insula, cujus nomen hodieque perdurat, primum nummum ex argento signaverit, verba Ephori haud obscure docent, nimirum, ut commercia maritima apud hosce Insulanos promoveret. Hos enim inter alios ad se receperat, quod, cum majoribus suis semper paruissent, ad successionem Temeni tanquam pars Regni Argolici pertinerent. Quod videtur confirmare Pausanias, dum scribit, Argivos Aeginam tenuisse ab antiquo, atque ejus Insulae indigenis permixtos, Doriensium in eam et mores et linguam intulisse. Monetam autem excudit, non argenteam tantum, sed etiam auream et fortasse etiam aeream. *Monetam*, inquit Strabo, *cum aliam, tum argenteam procudit.* De aerea quidem non memini me aliquid legisse; sed in Etymologico Magno est locus, qui ad auream spectat. Nam sub voce Εὐβοϊκὸν νόμισμα dicitur de Phidone: Πρῶτος ἔκοψε χρυσοῦν νόμισμα, *primus sculpsit aureum numisma.*

pag. 358. pag. 376. Pauf. lib. 2. cap. 29.

misma. Plura Graecorum aliorumque Veterum de rebus et inventis Phidonis testimonia, qui desiderat, adeat Vindingi HELLENA, tractatum locupletissimum, quem Gronovius Thesauro suo totum inseruit. *Gron. Thes. Ant. Graec. Tom. XI.*

III. Inventum Monetae eidem Phidoni tribuunt quoque Marmora Arundeliana seu Oxoniensia, rarissima et pretiosissima Antiquitatis monumenta, quae, cum celebriores Graecorum Epochas a remotissimis temporibus ad annum usque ante Aeram Christianam CCLXIII. quo literae incisae sunt *(n)* complectantur, et summa semper fuerint inter Literatos auctoritate, hic praetermitti non debent. Et tametsi in illis multae sint lacunae, multaeque mutilationes, quae ingenio humano irreparabiles videntur; illas tamen tanta solertia supplevit *Humphridus Pridoxius*, ut damna verborum et literarum vix sentiantur. Ideoque ex Marmore Primo tam literas ipsius Monumenti, quam interpretationem Viri clarissimi hic apponam.

Lin. 45. ΑΦ. ΟΥ. Φ--ΔΩΝ.
Ο. ΑΡΓΕΙΟΣ ---
ΑΦ οὗ Φίδων ὁ Αργεῖος.
A quo Phidon Argivus.

Lin. 46. --- -ΝΟΜΙΣΜΑ.
ΑΡΓΥΡΟΥΝ. ΕΝ. ΑΙΓΙΝΗ.
ΕΠΟΙΗΣΕΝ. ΕΝΔΕΚΑΤΟΣ.
ΑΦ. ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ----
Nummum argenteum in Aegina cudit, quum esset undecimus ab Hercule.

(n) Fides sit penes Francisc. Blanchinum in Historia Universali, Romae 1697. in 4to edita, pag 320. ubi partim ex numeris istius Marmoris, quod alii Smyrnaeum, alii Parium vocant, partim ex literarum ductibus demonstrare conatur, illud annis ante Christum natum 263. incisum esse.

Hunc nummum vidiſſe poterat Homerus, quoniam in hoc ipſo Marmore inter florentem Homerum et Phidonem Argivis imperantem XII. tantum annorum ſpatium interjicitur.

IV. Pondus et menſura cauſam habent connexam cum nummo ſignato. Nam poſtquam argentum non amplius appendi, ſed numerari coepit, juſta menſura et aequabili pondere opus erat, ut pretia rerum pecunia aeſtimari poſſent. Et tametſi uſus Librae pridem fuerit inventus, neceſſitas tamen poſtulabat, ut inventor pecuniae omnia pondera omnesque menſuras, quibus antea utebantur permutantes, non ſolum ad unam ſacram et inviolabilem aequalitatem redigeret, ſed etiam capacitatem et gravitatem eorum ita ordinaret, ut cum pondere pecuniae convenirent. Quod cum ante Phidonem nemo fecerit inter Graecos, merito vaſa illa ab auctore ſuo *Phidonea* vocantur. Sed haec inventa nolim tribuere Phidoni adhuc privato et apud Corinthios exulanti, antequam de Regno recuperando aut pecunia cudenda cogitaſſet. Nam haec opinio, etiamſi celebrem habeat auctorem, mihi non ſolum rerum geſtarum ſeriem, ſed etiam naturalem inventorum ordinem turbare videtur.

V. Begerus, qui pro ſumma ingenii ſui fecunditate de omnibus Graecorum nummis docte et profuſe diſſerit, ea tamen continentia, ut more Academicorum in decernendo judicii ſui quam minime prodigus ſit; primatum Phidonis in re monetaria multo apparatu in dubium vocat. *Mihi*, inquit, *adhuc dilucidandum videtur, an ſcil. verum ſit, quod de Phidone memoratur, eum* P R I M V M, *numiſma ſignaſſe. Id non tantum Jul. Pollux verbis ſupra allatis videtur ſtatuere, ſed et Aelianus Lib. XII. cap. 10, ubi de Aeginetis:* πρῶτοι νόμισμα ἐκόψαντο, καὶ ἐξ αὐτῶν ἐκλήθη νόμισμα αἰγιναῖον. *Sed aſſertum hoc, ſi de Graecis in genere ſumas, vereor ut ſubſiſtere poſſit. Idem Jul. Pollux, qui de Phidone docet, etiam de Erichthonio, quod is Athenienſibus et Lyciis numiſma excuderit. Atqui Erychthonius, ſi Euſebio fides, fere ſeptingentis annis Phidone antiquior fuit? Ita et Hermodicem Uxorem Midae, Regis Phrygum, Cumaeis primam num-*

Theſ. Brand. Gr. Numiſ. pag. 282.

nummos signasse, Coel. Rhodiginus observat. Midas autem Phidone et ipse quingentis annis vetustior fuit. Herodotus Lydis primum numisma tribuit. Lucanus Iono Thessalorum regi. Intelligis Archaeophile, Phidonis numisma non primum fuisse tota in Graecia, sed in Aegina aut Argis, aliisque forte Phidoni subjectis urbibus. Caeterum ex Codice Sacro intelliges, jam Abrahami tempore numismatum usum invaluisse. Abimelech enim Rex Abrahae uxori Sarae mille Keseph, id est, aureos donasse memoratur. Sed haec alibi profundius exquiremus. Huc usque Begerus V. C. Qui, an ea, quae jam apud Hostum parata invenerat dubitandi argumenta, alibi profundius examinaverit, nescimus. Talia autem sunt, ut facile aliquem a sententia dimovere possent, nisi jam supra responsionem ad singula praeparassemus.

Host. Hist. rei num. Lib. I. Cap. 2.
Supra Cap. III. §. 4. 5. 9. Cap. IV. §. 6. 7. 8.

VI. Pollux in medio relinquit, nec operae pretium ducit, inquirere, quis primus Graecis numisma excuderit, Phido Argivus, an Erichthonius Atheniensis? Tantum abest, ut idem de utroque doceat. Quod si fecisset, imbecillitatem suam nimis prodidisset, quia fieri non potest, ut unius rei plures auctores existant. Cur vero in quaestione de signatura Monetae, Erichthonium, a nemine Veterum in hac causa laudatum, adduxerit, non facile dixerim. Fortasse verba Plinii: *Argentum invenit Erichthonius Atheniensis:* in alienum sensum detorsit. Scripsit enim Commodi Caesaris aevo, et Plinium legere poterat. Quiequid sit, nos omnibus illis, qui antiquitatem Numismatum ultra Trojanam memoriam extollunt, et neque in solo natali, neque in tempore et auctore inventi, inter se conveniunt, praeter Scriptores iam supra laudatos, et Epochas Marmoreas, silentium quoque Homeri opponimus, qui, etiamsi magnus auri mirator fuerit, Bellum sociale Graecorum ita describit, ut ex tota Iliade pateat, belligerantes istius aevi formam et usum pecuniae prorsus ignorasse. Viderint Eruditi, si quid hisce melius afferri possit. Nos interim a testimonio Lapidum ad testimonium ipsius nummi procedimus.

Jul. Poll. Onom. Lib. IX. Cap. VI. Segm. 83.
Plin. Lib. VII. c. 56.

VII. Vidi,

VII. Vidi, cum adhuc in famulatu primi Regis Borussiae essem, in Cimeliarchio Regio nummum Phidonis argenteum, sculptura et raritate insignem, et a nemine, quod sciam, ante Begerum, delineatum aut publicatum. Tantum enim abest, ut in Thesauris passim obvius sit, ut pene solus ex tam remota antiquitate ad nos pervenerit, et summi Antiquarii, Spanhemius et Sperlingius, notitiam eius non aliunde quam ex Opere Begeriano acceperint, nec aliam ob causam secus ac custos et interpres eius de illo statuerint, quam quod eum manu tractare, aut visu cognoscere, occasionem nullam habuerint.

Beger. Thes. Brand. Gr. Numism. p. 279.

VIII. Ex una parte cernitur Vas longum, ventrosum, ansatum, striisque ornatum, et supra illud uva, cum inscriptione in medio Φ Ι Δ Ο. Quin sub hoc vase mensurae illae, a Strabone *μέτρα Φειδώνεια* dictae, designentur, vix dubitari potest. Huius Vasis tanta est in figuratione et caelatura concinnitas, ut artificium Aeginense, tam illud, quod Αἰγιναία πλαστική, quam quod Αἰγιναία ἐργασία a Pausania vocatur, quibus Graecia in genere figulinae et sculpturae nihil habet antiquius, nobilius, aut famosius, vel ab indoctis oculis in eo deprehendi possit. Uva, quae Vasi imminet, non spectat ad usum vasis, nec ad cultum Bacchi, sed potius est attributum Insulae Aeginae, abundantiam vini significans: quomodo in alio Aeginensium, et forte eiusdem aevi nummo, cui inscriptum ΑΙΓΙΝΑ, navigium et caput arietis symbolice ponuntur pro commercio maritimo, et lanae in hac Insula proventu. Uva in aliis quoque Graecorum nummis, praecipue Chiorum et Corcyraeorum, regionem vini feracem significat. Et talem quoque hanc Insulam fuisse, vetus nomen ejus Οἰνώνη vel Οἰνοπία, si, ut par est, ab οἶνος vinum deducatur, evincit, etiamsi Ephorus sterilitatem huic Insulae affingat. Non enim fuit sterilis, sed triticum protulit, teste Strabone. Quod si, non obstante quod saxo perpetuo tanquam vallo cincta esset, intus tamen triticum protulit, cur non etiam vinum? Praesertim, cum ager saxosus, ut Begerus observat, copiam et praestantiam vini non minuere, sed augere soleat vinitorum judicio.

Pausf. Lib. X. c. 17. et 36.

Apud Haymium Thes. Brit. Tomo I. pag. 218.

IX. Scu-

IX. Scutum, quod in altera nummi parte conſpicitur, eſt ſcutum oblongum, ab utroque latere exciſum, et in medio anguſtum. Qua in re differt ab ancili, quod nullum habet angulum, et in medio latius patet. Differt etiam a ſcuto communi Graecorum, quod plerumque eſt rotundum, aut ſimpliciter oblongum ſine inciſione. Begerus, qui hoc ſcutum *Boeoticum* vocat, rationem, cur in hoc nummo conſpiciatur, hanc reddit, quod *Corcyra*, *Aegina*, *Thebe*, cum olim *Scheria*, *Oenone*, *Cadmia* appellarentur, nova nomina a tribus Aſopi filiabus acceperint, memorante Pauſania; et conſequenter, *Pauſ. L. 2. c. 5.* quod inter Aeginetas et Thebanos, qui eodem ſcuto in ſuis nummis utuntur, fuerit aliqua ſororio nomine cognatio. Mihi de hoc ſcuto, quod certe non eſt inſtrumentum muliebre, ut Thebani illud a Thebe cum novo nomine accipere potuerint, alia animo ſedet ſententia, quam, etiamſi mihi probabilior videatur, aliorum tamen judicio lubens ſubmitto. Herculem in bellis ſuis inter alia arma hoc etiam ſcuto uſum eſſe, conſtans fuit Graecorum, et a majoribus tradita opinio. Inde eſt, quod Boeotii, et praecipuae eorum urbes, *Boeotia*, *Thebe*, *Plateae*, *Iſmene*, *Orchomene* etc. quum ſe autonomiam et libertatem ſuam ab Hercule ſtatore accepiſſe, profiteri vellent, hoc ſcuto in nummis ſuis ſignandis uſi ſint, eidemque, clavam Herculis ſaepe addiderint, modo ſcuto inſculptam, ut in quibusdam nummis apud Goltzium, modo ſcypho Herculis impoſitam, ut in nummo Thebano, quem ex Muſeo Lipſienſi hic exhibeo.



Igitur

Igitur scutum, quod vulgo *Boeoticum* vocant, revera est *Herculeum*, nec Boeoticum dici posset, nisi ante Herculis fuisset. Hoc supposito, credibile est, Phidonem, cum decimus aut undecimus ab Hercule esset, hoc scutum, quod omnium opinione ipsius Herculis fuit, ceu originis documentum, nummo suo insculpsisse. Solent enim Reges circa originem Herculeam ultro gloriosi esse, et eam gloriam ambitiosa armorum Herculis ostentatione affectare. Inde est, quod Macedonum Reges, cum et ipsi ab Hercule per Caranum, Phidonis Fratrem, genus ducerent, clavam Herculis, ejusque pharetram et arcum, in nummis suis frequenter exprimerent. Igitur scutum in nummo Phidonis non videtur esse signum alicujus inter Aeginetas et Thebanos cognationis, sed potius signum eximiae nobilitatis, et insigne natalitium ipsius Phidonis, et omnium Regum Argivorum, quos ab Hercule per Temenum oriundos esse accepimus. Et hoc scutum, si sculpturam spectes, antiquius est eo, quod in nummis scutatis Boeoticarum Civitatum apud Goltzium et Haymium conspicitur. Tantum abest, ut ab illo mutuo acceptum sit.

X. Hujus elegantissimi et rarissimi nummi fidem contra Begerum, praeconem ejus, in dubium vocarunt viri in re nummaria peritissimi, primo Sperlingius, mox etiam Spanhemius, qui eum non ab ipso Phidone, etiamsi inscriptio hoc dicere videatur, sed infra tempora ejus ab iis, qui mensura Phidonea utebantur, in memoriam Phidonis percussum judicarunt. Quibus rationibus, non liquet; nullas enim attulerunt, nisi hanc generalem, quod nummus ille tantam arguere vetustatem non videatur. Defuncto Begero, Disquisitionem Antiquariam *de nummo Phidonis*, perdoctam et elegantem edidit *Johannes Carolus Schottus*, olim Spanhemii apud Parisienses Secretarius, postea Begeri avunculi sui in custodia Regiae Gazae successor dignissimus. Quo consilio, aut instituto, ipse exposuit his verbis: *Adversus tanti nominis viros* (Spanhemium et Sperlingium,) *inque veterum nummorum notitia celeberrimos assurgere*

Sperling. de nummis non-cusis, pag. 11. Spanh. de us. et praest. Num. Tom. I. pag. 19. 20. Ed. Lond.

Schott. Disq. Ant. de Num. Phid. pag. 1. 2

gere me audere, miraberis forsan benevole Lector. Fateor hanc considerationem initio statim a proposito me deterruisse; et abstinuissem sane ab eo, nisi obtulissent se rationes, quibus elegantissimi hujus nummi αὐθεντίαν ac genuinum valorem indubie, evinci posse considerem. Tales autem cum suppetant, officii etiam ratio exigere a me videbatur, ut Regiae hujus Gazae custos rarissimi cimelii causam susciperem, simulque defungerer pietate in Avunculum, cujus famam seu fidem hac in parte convelli, vel aliquo in discrimine versari cognoveram, eas proferre, Eruditorumque examini ac judicio subjicere, mei muneris mearumque partium esse putavi. Disquisitioni addita est tabella, in qua nummus Phidonis, et alii plures, qui interpretationi ejus inservire visi sunt, ipsa auctoris manu accuratissime et elegantissime in aere delineati conspiciuntur.

XI. Et primo quidem illustribus illis Begeri censoribus a Disquisitore objicitur, quod de nummo nunquam viso judicium tulerint. Deinde ex ipso nummo tot vetustatis criteria et documenta perspicua producuntur, ut assensum cohibere difficile sit. Talia sunt *crassities*, *pondus*, *scriptura*, *fabrica*, *elegantia typi*, *puritas argenti*. Primo *crassus* est, et denario Romano si non multo major, triplo tamen crassior, et inter omnes Graecorum argenteos crassissimus. Fuisse autem Aeginensium nummos insigni crassitie notabiles, Pollux testatur: *Aegineam Drachmam Attica majorem (decem enim obolos Atticos valebat) Athenienses* παχεῖαν δραχμὴν, *crassam Drachmam appellabant, odio Aeginetarum, Aegineam dicere nolentes.* Huic formae respondet *pondus*. Nam ad bilancem exactus duas drachmas pendere deprehenditur, non Atticas, sed Aegineas, quas quatuor obolis ponderosiores fuisse, ex Polluce modo audivimus. *Scriptura* Φ Ι Δ Ο per omicron pro Φ Ι Δ Ω, testatur nummum cusum esse, cum Graeci adhuc Alphabeto Cadmeo uterentur, et literam Ω a Simonide repertam ignorarent. De litera Φ dissentiunt quidem auctores apud Plinium, fueritne e numero literarum Cadmi, an Cadmeo alphabeto a Palamede adjecta? Sed hoc non ob-

Poll. Onom. Lib. IX. Cap. VI. Segm. 76. Schott. pag. 9.

Plin. Lib. VII. cap. 56.

obſtante, in omnium ſententia certum eſt, uſum hujus literae apud Graecos aevo Phidonis non uno Saeculo anteriorem eſſe. *Fabrica* nummi eſt prorſus ſingularis, ſimplex tamen, et primis incunabulis, quae ſimplicia eſſe ſolent, conformis. Nam ſi anaglypha, quae in aliis Graecorum et Romanorum nummis ſupra aream eminent, hic vero valde depreſſa ſunt, cum craſſitie nummi, ejusque tumente margine conferantur, ad oculum patebit, hunc nummum e globulo argenteo ope mallei percuſſum eſſe, alio plane artificio, quam reliqui Graecorum et Romanorum nummi. *Elegantia typi*, quae in aliis nummis ſuſpicionem novitatis movet, hic argumentum vetuſtatis eſt, ob Aeginenſium in arte ſculptoria priſcam celebritatem. Denique *puritas* argenti, quae tanta perfectione ſplendet in hoc nummo, quanta in aliis non reperitur, pro radio antiquitatis haberi debet, cum minime credibile ſit, fraudem et monetam iisdem temporibus natam eſſe. Plura qui deſiderat, adeat auctorem ipſum, lectu ſane digniſſimum, qui, ſi diutius vixiſſet, rem literariam, et inprimis numiſmaticam, multis novis et utilibus inventis locupletaſſet.

CAPUT VI.

DE NUMMO LYCURGI ET ALYATTIS.

I.

Pauſ. Lib. IV. c. 22.

nterim inventum pecuniae auctori ſuo nocuit. Phidonem *cunctae Graeciae invidia laboraſſe*, ſcribit Pauſanias. Invidiae acceſſit metus, quod multorum et praecipue vicinorum libertas in periculo verſari videretur, ſi unus ſolus tantas opes poſſideret. Isque metus non erat omnino vanus, quia experientia docuit, Aeginenſes brevi tempore ita creviſſe potentia, ut cum Athenienſibus de imperio maris diu certarent. Itaque Phido, ſive incautus, ſive aliis rebus occu-

occupatus, ab Eleis et Lacedaemoniis ſubito opprimitur, et forte (ſic enim auguror) impulſore *Lycurgo* Spartano, viro patriae ſuae amantiſſimo, et tyrannidis, etiamſi ipſe ex genere regio eſſet, oſoris. Nam hunc Lycurgum Phidonis aequalem fuiſſe, et eodem aevo novam Reip. formam meditatum, doctrina temporum permittit, et rerum geſtarum nexus ſuadet, ut credamus *(o)*. Huius Reipublicae Lex principalis erat, ut aurum et argentum ſignatum, ceu res noxia, et dominandi cauſa inventa, civitate abeſſet, et omnes ferro ſignato pro nummo uterentur. *Primum,* inquit Plutarchus, *monetam omnem auream et argenteam abolevit, et ſoli ferro auctoritatem tribuit.* Quod de alia moneta quam Phidonea intelligi nequit, etiamſi in vita Lycurgi nulla Phidonis mentio fiat. *In vita Lycurgi p. 40.*

II. Qua ratione hoc conſecutus ſit Lycurgus, ut conſilium ſuum Spartanis probaret, et pecuniae, rei novae et ab omnibus deſideratae, admirationem detraheret, cognitu non minus utile quam jucundum eſt. Ante omnia civibus ſuis perſuaſit, eam demum Remp. felicem eſſe, in qua nulla eſſet *inaequalitas*, hoc eſt, in qua omnes compari inter ſe et aequabili fortuna viverent, ſola virtute aut vitio diſcreti. Inde porro inferebat, et adhinniente populo, cujus major in urbe pars inops et egena erat, opulentiam et paupertatem, et quae ex illis naſcuntur ſcelerum formae, faſtum et luxum, invidiam et avaritiam, eſſe morbos Reip. et mala radicitus exterminanda. Nemo de moribus altius philoſophatus eſt, nemo ad aures plebejas accommodatius. Hujus Philoſophiae duo erant Conſectaria, Lex *agraria* et *nummaria.* Nam ut omnem inaequalitatem et imparitatem penitus exſcinderet, primo auctor fuit Spartanis, ut poſſeſſiones in medi-

(o) Lycurgum paulo juniorem Homero fuiſſe, auctor eſt Timaeus apud Plutarchum in vita Lycurgi ab initio. Alii eum cum Homero congreſſum putant. Sed hi juſto majorem reddunt Lycurgum. Marshamus in Can. Chron. Saec. XV. pag. 446. *Argivorum Rex Phidon, ſeptimus a Temeno, undecimus ab Hercule, et ejus frater Caranus, aequales fuerunt Lycurgo et Iphito.*

um conferrent, et agrum publicum, tanquam Fratres ejusdem familiae haereditatem herciſcentes, de novo inter ſe, et ex aequo dividerent. Quo ſemel impetrato, quam facile illi fuerit, alteram Legem de nummo ferreo promulgare, et pecuniam auream argenteamque ceu peſtem publicam et aequalitati infeſtam, proſcribere, in propatulo eſt. Obſtabant quidem pertinacius pecunioſi. Verum cum numero inferiores eſſent reliquis, tandem ab illis quoque, ut aurum ferro poſtponerent, unius oculi damno impetravit. Et ne quem forte ferri colligendi cupido inceſſeret, omnem tentationi aditum praecluſit, talem e ferro nummum excudens, quem nemo ſanus valde deſideraret, nec commode cuſtodire poſſet. Nam primo ferrum candens aceto reſtinguens, aciem et duritiem ejus ita debilitavit, ut ad alios uſus in poſterum inhabile eſſet. Deinde magno ponderi et moli exiguum adſignavit pretium, ut decem minarum ſumma, plauſtrum duorum boum ad vehendum, et amplum in aedibus armarium occuparet. Hoc pacto avaritiam et vitia cognata non Lacedaemone ejeciſſe, ſed ferro obtruncaſſe viſus eſt. Quis enim vehementer cupere, quis furari, quis venalis muneribus eſſe, quis defraudare aut rapere ſuſtineat, id quod non poſſet tegi, cujus nemo eſſet poſſeſſione beatior, ſed nec conflatum ullum uſum praeſtaret? Totum Lycurgi inſtitutum eleganter deſcripſit Plutarchus in vita ejus, ex quo etiam id, quod huc ſpectare videbatur, decerpſimus.

III. His ita ſtatutis, Lycurgus Opera Homeri, quae quondam ex Aſia redux in Graeciam attulerat, et hactenus arcana ſecum conſcientia preſſerat, primus vulgavit, et civibus legenda propoſuit *(p)*. Quod eum Reipublicae cauſa feciſſe, credibile eſt,

(*p*) Plut. in vita Lyc. *Primus autem omnium Carmina Homeri vulgavit in Graecia.* Aelianus Lib. XIII. Var. Cap. 14. *Sero autem Lycurgus Lacedaemonius univerſam Homeri Poëſin ſimul in Graeciam importavit, has veluti ſarcinas ſecum ex Ionia, quum eo peregrinationem ſuſcepiſſet, referens.* Sed cur id ſero (ὀψὲ) factum putemus, quod paucis ab obitu Homeri annis contigit, nulla ratio eſt.

eſt, ut hoc magiſtro cives ſuos in ſancto propoſito, et inprimis in contemptu pecuniae, quam priſci illi et Homerici viri prorſus ignorabant, confirmaret. Hoc certum eſt, Homerum fuiſſe ab initio ſacrum Lycurgi depoſitum, et auctorem Lacedaemoniorum quaſi proprium, tanta cura vel invidia cuſtoditum, ut tribus ſaeculis apud illos lateret, antequam Athenienſibus innoteſceret. Tantum enim temporis plus minus intercedit inter Lycurgum et Hipparchum, qui libros Homeri primus in Atticam intulit, ſi vera eſt Platonis in Hipparcho narratio.

IV. Hujus diſciplinae quamdiu Sparta diligens fuit, *excellentiſſime floruit*, non vanis artibus, quae ultro et nemine cogente ſolum vertebant, non mercatura, quae ſponte ceſſabat, quum ferrum ad alios Graecos (qui hanc monetam, ut rem futilem deridebant) exportari non poſſet; ſed multitudine et concordia civium, et incredibili ſe ſuasque res tuendi et ampliandi felicitate. *Vellejus Lib. I.*

V. Hoc multos in ſtuporem rapuit, ut quemadmodum omnia, quae vitae civilis ſocialisque ortum et inſtituta concernunt, inter eruditos controverſa ſunt, ita etiam hoc, an pecunia Reip. utilis aut neceſſaria ſit, in quaeſtionem venerit. Nec defuerunt graves auctores, qui pecuniam cum Lycurgo damnarent, quod neminem meliorem, ſed potius omnes deteriores redderet, vel ſaltim ad male agendum invitaret, quod omnibus vitiis alimenta ſubminiſtraret, et quod nova quidem inventa novasque commoditates, ſed et nova ſcelera et nova mala ſubinde produceret. Plinius, auctor incomparabilis, et antiquis illis Romanis, qui Lycurgum admirabantur, accenſendus, cum Hiſtoriam Monetae Romanae tradere vellet, multa memoratu digna de metallis, et quae ex illis fabricata ſunt antiquiſſimi temporis ornamentis, praefatur, et inter alia haec: *Peſſimum vitae ſcelus fecit, qui annulum primus induit digitis. Proximum ſcelus fecit, qui primus ex auro denarium ſignavit.* Cujus vituperii ratio non poteſt obſcura eſſe ei, qui ingenium Plinii noverit. Nam primus ille, qui aurum digitis induit, luxum exemplo docuit, et adſpicientibus cogitationem injecit, *Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXXIII, cap. 1. et 3.*

annon haec ſplendida meliora ſint? Hic vero, qui primum denarium percuſſit, omnium malorum illicem in ſcenam vitae induxit, et paupertatem primaevam, quae antea non ſentiebatur, intolerabilem reddidit. Nec diſſentire videtur Tacitus. Nam qui dubitat, propitii an irati Dii Germanis aurum argentumque negaverint, videtur multorum malorum cauſam in pecuniam reiicere. Et in his malis numerantur etiam Bella. Inde Lucanus:

Tacit. de M. G. cap. 5.

Illic, quod populos ſcelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum eſt.

Quod tamen cum aliqua reſtrictione accipiendum eſſe puto. Nam bella fuiſſe, multa et atrocia, antequam ulla moneta exiſteret, certiſſimum eſt, et nulla probatione indiget. Illum vero bellandi et rapiendi furorem antiquum, poſtea a pecunia auctum eſſe in animis hominum, ut mox frequentiores eſſent in orbe bellorum irae, et privatorum etiam pugnae, caedes, et latrocinia, inficiari nolim. Et ſic accipio ſapientum dicta, quoties pecuniam accuſare videntur. Cujusmodi eſt vox Platonis in Phaedone: *Omnia bella pecuniarum cauſa fieri:* Et Senecae: *Pecuniam gladios tam percuſſoribus quam Legionibus tradere.*

Sen. Lib. III, de ira cap. 32.

VI. Quicquid ſit, pecunia Phidonea Grajo ingenio, ſi Lacones excipias, mire placuit, et ſummo cum applauſu excepta eſt. Plato quoque, pecuniam in Remp. ſuam admiſit, quod viro honeſto utilis eſſe poſſit: eam vero curam, qua pecuniam quaerere cogimur corporis cauſa, ſapientiae ſtudiis plurimum obeſſe, in Phaedone fatetur. Extra Graeciam vix ulla Gens eſt, quae pecuniam accipere recuſaverit, exceptis forte Inſularum Balearium incolis, de quibus Diodorus ſcribit: *argenteis aureisque nummis haud quaquam utuntur: ſed et importari horum quicquam ad ſe vetant.*

Diod. Sic. Lib. V. pag. 207.

VII. In oriente primi omnium, quos novimus, uſum monetae imitati ſunt *Lydi.* Hi quidem hoc inventum apud

ſe

ſe natum jactant, idemque Herodoto, ut crederet, perſuaſerunt, cujus verba ſupra produximus. Verum cum praeter Herodotum nemo in hac cauſa Lydorum mentionem fecerit, veriſimilius eſt, eos exemplum facti a Phidone, cui omnes paene Scriptores Graeci, et Marmora quoque Aſiatica favent, accepiſſe. Concedamus tamen aliquid jactantiae eorum, et dicamus, Lydos omnium populorum, qui divites Aſiae regiones incoluerunt, primos auream argenteamque monetam percuſſiſſe, regnante in Lydia *Alyatte*, Croeſi Regis, ob immenſas divitias famoſi, parente.

Supra Cap. IV. §. 6.

VIII. Memoria hujus Regis occurrit in Marmore ſaepe laudato, quamvis pene obliterata, lin. 50. ΑΦ. ΟΥ. Α-Σ. ΛΥΔΟ -- ΣΙΛΕΥΣ. Quod Humphridus Pridoxius ita reſtituit, Ἀφ' ὃ Ἀλυάττης Λυδοῖς ἐβασίλευσεν. *A quo Alyattes Lydis imperavit.* Et hujus etiam videtur eſſe nummus vetuſtiſſimus, quem ex ditiſſima Cimeliorum penu Comitis Pembrockii adduxit, et Operi ſuo immortali inſculpi curavit Spanhemius. Caput Regis eſt barbatum, et mitra *Lydia* tectum. In averſa nummi parte cernitur monogramma Regis ☧. Cujus generis tegmen fuerit haec mitra, non aliunde magis quam ex hoc nummo conſpicuum eſt. Pars ſuprema curvatur verſus frontem, inferior per redimicula deſcendit ad genas, et infra mentum ſubnecti poteſt. Dicitur etiam *Phrygia*, quod Lydi et Phryges eodem capitis tegumento uterentur: et objicitur Aeneae, quod talis mitra foeminis magis quam viris conveniat.

Spanh. de Uſ. et praeſt. Num. Tom. I. pag. 18. Edit. Lond.

Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus.

Virg. Aen. IV. 215.

Et rurſus alibi:

Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae. *Aen. IX. 616.*

Vir-

Virgilius tamen *Maeoniam* appellare maluit, id est, Lydiam, quod forte a Lydis inventa sit. Nam Lydos olim *Maeones* dictos, testis Herodotus *(q)*. Verba Servii, quia simul poëtam et hunc nummum illustrant, et ab illo vicissim lucem accipiunt, omittere non possum. *MAEONIA. Lydia. Nam utebantur et Phryges et Lydii. MITRA. Hoc est, incurvo pileo, de quo pendebat etiam buccarum tegimen.*


IX. Quorsum hunc nummum referat illustris Commentator, ipse hac descriptione declaravit: *In quo nummo hinc senilis barbati capitis cum peculiari tegmine, seu Phrygio velut pileo effigies comparet: illinc Monogramma cum duabus initialibus literis ATYS: nummi vero ipsius typus vel ex primo ejus aspectu vetustissimi rudisque omnino operis est. An vero hic ATYS sit ille, a quo prima ATYADARUM apud Lydos Dynastia, Manis nempe primi Lydorum Regis juxta Herodotum filius, juxta Halicarnassensem nepos; Lydi autem, a quo dein genti illi, quae prius Maeonia diceretur, parens sit statuendus, nollem equidem ob magnam, quae eidem ab Auctoribus tribuitur, vetustatem, credere vel affirmare.* Quin vero hic nummus ad aliquem inferiorem Lydorum *Atyn* pertineat, nullus dubitat. Qua in re cogor a summo viro dissentire. Nam monogramma Regis non ex initialibus literis *Atys*, sed ex duabus consonantibus Λ et T manifesto compositum est, et attentius considerantes non ad *Atym*, sed ad *Alyattem* perducit. Si *Atyn* literis initialibus exprimere voluisset artifex, literas A et T more antiquo ita combinasset AT, ut in lineola transversa ambae convenirent.

(q) Herod. Lib. VII. c. 74. *Lydi proxime ad Graecorum armaturam accedebant, olim MEONES vocati, pristinoque nomine sublato a Lydo Atyos filio cognomen acceperunt.*

CAPUT VII.

DE NUMMIS MACEDONICIS.

I.

um intervallum, quod inter nummos Graecos et denarios Romanos interponitur, permagnum fit *(r)*, Archaeologia exigit, ut de vetuſtiſſimis, qui ſuperſunt, Graecorum nummis, eorumque conſtitutione, aliquid dicamus, priusquam ad rem monetariam Romanorum progrediamur. Vetuſtiſſimos autem dico, qui ante bella cum Romanis geſta, vel a Regibus Graecorum, vel ab urbibus aut Inſulis Graeciae, ex quocunque metallo cuſi ſunt. Hi enim, cum reliquis omnibus, ſive Regum Aſiae, ſive urbium et populorum Graece loquentium nummis palmam vetuſtatis praeripiant, et initia iſtius Doctrinae, quae PHILOSOPHIA IMAGINUM et ARS SYMBOLICA vocatur, contineant, majorem, ni fallor, attentionem merentur, quam qui poſt Graeciam a Romanis ſubjugatam, ex officinis Graecorum prodierunt.

Utar autem in hoc negotio nummis publicatis et non publicatis. Per non publicatos intelligo, quos e Muſeo MAGNIFICI SENATUS LIPSIENSIS produxi, quales ſunt omnes in medio verborum contextu artifice manu delineati. Hoc MUSEUM, ut eſt copia et ſelectu numiſmatum inſtructiſſimum, ita poſteris documentum dabit eximii iſtius favoris, quo praeſens SENATUS elegantiores litteras complectitur. Hodie curam ejus habet V. C. D. JOH. JACOBUS MASCOVIUS, Conſiliarius Aulicus, et Civitatis Praetor, cujus non ultima laus eſt, quod ejus Muſei non ſolum cuſtos ſit humaniſſimus, ſed etiam interpres doctiſſimus.

II. Inter

(r) Plinius: *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum Regem devictum uſus eſt.*

II. Inrer regios primas tenent MACEDONICI. Conditor Regni Macedonici fuit *Caranus*, Phidonis Argivi frater, qui, cum imperium aliquod fibi quaereret, confilio et auxilio fratris Macedoniam invafit et occupavit *(s)*. Ab illo profati funt omnes Reges, qui deinde fucceffionis jure Macedoniam tenuerunt. Ipfe vero genus ducit ab Hercule per Temenum Argivorum Regem *(t)*. Quam gloriofi fuerint Macedoniae Reges circa hanc originem, teftantur eorum nummi, in quibus non folum arma Herculis, clava, pharetra, arcus, fed etiam et frequentiffime Caput Herculis exuviis leonis tectum, imo etiam Regum capita iisdem exuviis tecta confpiciuntur. Quibus fignis haud dubie ftemmatis fui nobilitatem, fuumque ab Hercule et Heraclidis ortum jactare voluerunt. Nam hoc fe genere ortos effe Macedonum Reges crediffe, et ab aliis credi voluiffe, ipfe teftatur Alexander apud Curtium *(u)*. An Caranus ipfe Macedonibus nummos excuderit, ignoratur: nulla tamen ratio occurrit, cur in re ad regnandum tam utili, exemplum fratris imitari noluiffe dicendus fit.

III. Primus Regum Macedoniae, quorum nummi extant, eft *Amyntas*. Hujus in numifmate aereo nomen ita expreffum

Beger. in eft, B. AMIMT☐Y. M. Quod legi poteft Βασιλεως Αμιμτȣ Ma-

(s) Georgius Syncellus in Chronographia pag. 198. de Macedonum Imperio, unde ceperit initium: *Caranus Argivus, Phidonis ea tempeftate Argivorum regis frater, propriam fibi regionem poffidendi cupiditate motus, adjuncta Phidonis fratris militum manu, et Argis totaque Peloponnefi ditione collecto exercitu, pofita ad Macedoniam loca invafit* etc. Eadem leguntur apud Eufebium a Scaligero editum in Chronico priori pag. 45. Confer *Regnum Macedonicum* Marshami in Canone Chronico Lib. III. Saeculo XV.

(t) Syncellus loc. cit. de Carano: *Macedonicum Imperium conftituit, quod deinde pofteri fucceffionis jure tenuerunt. Erat porro Caranus ab Hercule undecimus, et a Temeno cum Heraclidis aliis in Peloponnefum fufcepta expeditione profecto, feptimus.* Similiter et Phido Carani frater dicitur undecimus ab Hercule in Marmore Oxonienfi, Straboni decimus. Utriusque teftimonium habes fupra Cap. V. §. 2. 3.

(u) Curtius Lib. IV. cap 5. *Herculi, quem praecipue Tyrii colerent, facrificare velle fe dixit. Macedonum Reges credere ab illo Deo fe genus ducere.*

Μακεδονων. In averſa eſt cancer marinus, ea figuratione, ut in aliis Graecorum nummis, in quibus locum maritimum, vel urbem mari oppoſitam ſignificat. Quam ſignificationem etiam hic habere videtur, etiamſi neſciamus, an locus ille ipſius Amyntae regia, an coloniae alicujus eo deductae ſedes fuerit. Hunc vero Amyntam non Philippi patrem, ſed alium et vetuſtiſſimum fuiſſe, octavum a Carano, qui temporibus Cyri regnum Macedoniae quinquaginta annos tenuit, multa in hoc nummo poſterioribus ſaeculis inuſitata arguere videntur, cujusmodi ſunt, quod nomen Regis ſine effigie exprimitur, quod idem nomen per O. quadratum ſcribitur, et quod nomen populi regio nomini annectitur.

Theſ. Brand. Vol. III.

IV. Amyntam parvo intervallo ſequitur *Archelaus*, capite diademato, cujus nummum maxime commendabilem facit *Equus in Quadro*, pulcherrimum Macedoniae ſymbolum. Begerus ad hunc nummum duo valde memorabilia annotavit: primum ex Strabone, quod regnum Macedoniae parallelogrammo ſimile fuerit (x): alterum ex Thucydide, quod hic Archelaus Macedoniam equis et reliquo belli apparatu longe melius quam caeteri reges octo, qui eum anteceſſerunt, inſtruxerit. Hinc nummum ad meritum Archelai revocandum judicat. Quod acceptarem, ſi unius Archelai nummi equo ſignati eſſent. Verum cum idem typus in aliorum quoque regum nummis ab Archelao ad Antipatrum usque reperiatur: aliam figurae cauſam quam meritum Archelai ſubeſſe oportet. Equidem regnum Macedoniae, quod ſub Carano ex variis populis in unum corpus coaluit, quadro indicari, nullus dubito: ſed hujus regni vim, quod potiſſimum in equis et equitatu conſiſteret, per equum in quadro ſignificari puto. Quam gratum ſemper fuerit Macedonibus equorum et rei equeſtris ſtudium, ex aliis quoque eorum nummis

Beger. Theſ. Brand. Numiſ. Graec. pag. 228. ſeq. Thucid. Lib. II. Hiſt. c. 100.

(x) Strabo Lib. VII. pag. 330. Καὶ ἔστι τὸ σχῆμα τοῦτο τῆς Μακεδονίας παραλληλόγραμμον ἔγγιστα, *et eſt figura haec Macedoniae parallelogrammon propemodum.*

mis liquet, in quibus equites cum haſta decurrentes, equites ex ludis cum frondibus et palmis revertentes, equorum domitores, equi ſalientes, alati, paſcentes, et aurigae in bigis paſſim conſpiciuntur. Omitto nomen *Philippi*, in Macedonia frequentiſſimum, et ab amore equorum deſumptum. Idque ſtudium apud inſanos illos tanta in aeſtimatione fuit, ut eum, qui equum ferocem domare poſſet, etiam regno regendo parem eſſe judicarent *(y)*.

V. Idem Rex non ſuum modo, ſed etiam Herculis caput in nummis expreſſit. Quod poſtea reliqui in ordine Reges ob cauſas ſupra memoratas imitati ſunt, ita tamen, ut praeter caput Herculis progenitoris, etiam Capita Deorum, nec Capita tantum, ſed et Figuras et proprietates Deorum, imo etiam Templa, Tripodes, Aras, Ciſtas myſticas, aliasque res Diis dicatas, nummis imprimerent, ſive ut ſanctiorem redderent monetam, et adverſus adulteratores et mutilatores magis inviolabilem, ſive ut populum in priſco Deorum cultu continerent. Hujusmodi ſunt in nummis Macedonicis, Caput Mercurii petaſatum cum caduceo, Caput Dianae cum pharetra et cerva, Caput Apollinis Corona radiata cinctum, ejusque tripus et lyra, Caput Jovis laureatum, fulmen et aquila Jovis, Jupiter ſedens, dextra aquilam, ſiniſtra haſtam tenens, Caput Palladis galeatum, Pallas ſtans, clypeo et haſta pugnans, Pallas ſedens, dextra victoriolam tenens, ſiniſtra clypeo incumbens, Neptunus tridente pugnans, et ſimilia; quorum aliqua non aeri tantum et argento, ſed etiam auro puriſſimo impreſſa, et optime conſervata in Muſeo Lipſienſi cuſtodiuntur. Quod hic annotari debuit, cum ut intelligatur, quibus primum auctoribus imagines Deorum nummis impreſſae, et poſtea conſenſu Gentium receptae ſint, tum ut ex iſtis imaginibus

(y) Hinc Alexander, poſtquam ferociam Bucephali ſuperavit, ab omnibus maximo adplauſu, a Patre prae gaudio lacrymante hisce verbis exceptus eſt: *Quaere fili, par tibi regnum, ſiquidem te Macedonia non capit.* Plutarch. in vita Alex.

nibus de indole primorum numifmatum, et inventoribus eorum, judicium ferri poffit: quibus fane nihil minus propofitum fuit, quam ut Hiftoriam patriae, quae naturaliter utramque nummi paginam occupare debebat, ad pofteros transmitterent.

VI. Primus caput lauro cinxit *Philippus*. Hoc nummi ejus teftantur, argentei et aurei, qui in opulentioribus Mufeis, et in hoc quoque celeberrimo Emporio inter Cimelia SENATUS reperiuntur.





Philippum poftea imitati funt Duces et Imperatores Romanorum. Sed origo iftius gloriae, quae omnium opinione cum laurea cohaeret, adhuc inveftiganda eft. Sic autem fe habet. Primum Apollinis templum fuit aedicula in laureto montis Parnaffi ex ramis lauri contexta, et fupra antrum propheticum exftructa, tefte Paufania *(z)*: In hoc templo omnes luftrationes fiebant ramo lauri tanquam afpergillo. Et Pythia, antequam vaticinia ederet, lauri folia praeguftabat. Lycophron de Caffandra ab initio: *laurivoro vaticinata eft ore virgo.* Non quod in lauro fit quadam vis futuri praefcia, fed quod omnes ceremoniae iftius templi lauro peragerentur. Hinc eadem virgo, etiamfi folia lauri jam comediffet, non poterat nec debebat tripodem adfcendere, antequam adeffe Deum, ipfe concuffu

(z) Paufan. Lib. X. cap. 5. *Antiquiffimam Dei aedem lauro erectam tradunt: et lauri quidem ramos ex ea arbore decerptos, quae ad Tempe eft. Fuit aedis ejus forma quafi tugurium quoddam.*

cuſſu lauri ante fores templi excubantis, demonſtraſſet. Inde fabula orta, Deos inter ſe arbores, quas amarent, partitos eſſe, et Apollinem amaſſe Daphnen, id eſt, laurum:

Phaedrus lib. III. fab. 18.

Olim, quas vellent eſſe in tutela ſua,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybelae, populus celſa Herculi.

Poſtea cum Pythia in honorem Apollinis apud Delphos celebrari coepiſſent, athletae, qui in illis ludis vincebant, laurea, id eſt, corona ex ramo et foliis lauri coronati ſunt: non quod Apollo Daphnen amaſſet, quam moris cauſam affert Pauſanias *(a)*, et multo minus, quod in natura lauri aliquid ſit, quod victoriam deſignare poſſit: ſed quod rationi conforme eſſet, coronam in ludis Deorum honori dicatis, ex ramis iſtius arboris plecti, quae Dei ludorum praeſidis propria eſſet. Itaque laurea primo fuit geſtamen et ornamentum Capitis Apollinei, quia laurus in diſtributione arborum Apollini prae caeteris placuit: deinde Athletae in ludis Pythicis, quia ludi illi Apollini conſecrati erant: poſtremo omnium Regum atque Ducum, qui victoriam ab hoſte reportaſſent, quia victoribus ludorum Pythicorum ſimiles erant. Quam multa ſint in vita et rebus geſtis Philippi, quibus hoc capitis decus promereri poterat, ex hiſtoria Philippica Juſtini manifeſtum eſt.

VII. Idem victorias curules primus in nummis ſignavit, gloriam ex aurigatione captans, Graeco magis quam regio affectu, et ideo a Plutarcho reprehenſus *(b)*. In his nummis cer-

(a) Pauſan. Lib. X. cap. 7. in fine: *Lauream quidem Pythicis Ludis peculiarem fuiſſe, nulla alia de cauſa exiſtimo, quam quod Daphnen Ladonis filiam adamatam ab Apolline fama vulgavit.*

(b) Plutarchus Alexandrum laudat in vita ejus pag. 666. quod neque undique neque omnem gloriam aucuparetur, *ut Philippus, qui Sophiſtarum more facundiam ſuam oſtentabat, et victoriis curruum Olympiacis ſuis nummos ſignabat.* In qua filii laude vituperium Patris continetur.

cernitur figura in curru bijugo ſtans, et equos agens baculo vel alio inſtrumento, cum epigraphe ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Tales ſunt duo aurei et tres argentei in Muſeo ſupra laudato. Et in alio apud Goltzium, victoriola volans equos praecurrit. *Goltz. Tab.* Fulmen et Tridens, quae in nummis Magnifici SENATUS *XXX. num. 7.* ſub equis conſpiciuntur, et apud Goltzium deſiderantur, ſunt inſignia Deorum, Jovis Olympici et Neptuni equeſtris, quorum honori dicata erat ludorum Olympicorum celebritas. Nam Neptunum quoque in ſocietatem honoris veniſſe, tam epitheton ejus, quam juramentum equeſtre demonſtrant *(c)*. Juſtinus quidem Philippum *quadrigis* viciſſe ſcribit, non *bigis*. Sed Juſtinus e nummis Philippi corrigendus eſt. Nec obſtat, quod curſus Bigarum recentior fuerit in ludis Olympicis. Jam enim Olympiade XCIII. receptum narrant fide digni ſcriptores, Diodorus et Pauſanias *(d)*. Hinc nullus anachroniſmus committitur, ſi Philippum, qui Olympiade CV. regnum ſuſcepit, bigis viciſſe dicamus. Nummus, hujus victoriae index, tanto gratior et pretioſior eſſe debet poſſidentibus, quod eum eodem anno, quo Alexander natus eſt, a Philippo ſignatum eſſe, certiſſimis indiciis cognoſcatur *(e)*. Philippum poſtea imitati ſunt

---

(c) Pauſanias Lib. VII. cap. 21. rationem, cur Neptunus Graecis Ἵππιος dicatur, hanc affert: *Ἵππιος equeſtrem ſignificat, alius alia de cauſa inditum* (nomen) *ſuſpicari poſſet: ego ex eo conjicio, quod equitationem primus Neptunus inveniſſe dicatur. Homerus quidem* (Iliade I. 23) *quo loco certamen equorum deſcribit, Menelaum facit juramentum concipientem, per hujus ipſius Dei numen:*

En age equos tangens Neptuni numina jura,
Fraude meos ulla te non tardaſſe jugales.

(d) Diod. Sic. Lib. XIII. p. 370. *Hac Olympiade* (nonageſima tertia) *Synoris (equorum duorum jugum dixeris,) inſuper adjecta fuit.* Pauſan. Lib. V. cap. 8. *Bijugorum equorum (συνωρίδα vocant, quaſi bigas dixeris) curſus in curriculum receptus Olympiade XCIII.*

(e) Plutarchus loc. cit. *Philippus capta modo Potidaea, eodem die tres nuntios accepit, fuſos a Parmenione ingenti pugna Illyrios, alterum Olympiis ſe equi pernicitate viciſſe, tertium natum Alexandrum.* Juſtinus Lib. XII. cap. 16. *Eadem quoque die* (qua natus Alexander) *nuntium pater ejus duarum victoriarum accepit, alterius belli Illyrici, alterius certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miſerat.*

ſunt Syracuſanorum Reges, et inprimis *Hiero*, qui victoriarum ſuarum curulium teſtes eſſe voluit nummos ſuos, in quibus auriga conſpicitur in bigis, equos baculo vel virga impellens, ſiniſtra lora tenens. Ad hunc *Hieronem* ſpectat Ode prima Pythiorum Pindari, qua Poëta partam curru victoriam illi gratulatur.

Apud Parutam.

VIII. Ad ſingularia Philippi pertinet etiam hoc, quod *Victorias* et *Tropaea*, gratiſſima regibus ſigna, in nummis primus expreſſit, prioribus regibus inuſitata. *Victoria* in nummis ejus eſt figura alata, dextra lauream, ſiniſtra palmam tenens. Totus iconiſmus deſumptus eſt e ludorum celebritate, partim ab equorum velocitate in certaminibus Pythicis et Olympicis, partim a praemiis velocitatis, *laurea* et *palma*. Equi, dum ad metam honoris incitato curſu properant, volare videntur, et *volare* etiam dicuntur Homero aliiſque Poëtis *(f)*. Hinc porro equos victoria nobilitatos appellare ſolebant *Pegaſos*, *Aquilas*, *Alites*, quaſi volatu victoriam adeptos, obſervante Spanhemio. Unde jam, quae ſit origo alarum in humeris Victoriae, manifeſtum eſt. Et tametſi talis icon ludicris tantum et equeſtribus victoriis competere videatur: translata tamen eſt ad omnes victorias ſignificandas, quod omnes victoriae ab hoſtibus devictis reportatae ludorum victoriis ſimiles eſſent. Geſtamina manuum ſunt *laurea* et *palma*, tanquam praemia velocitatis. Nam in ludis Pythicis, qui curſu equorum, vel pugilatu, vel alio modo viciſſet, accipiebat *lauream*, hoc eſt, coronam ex lauro, primo quidem viridem, in ipſo loco certaminis, deinde auream a civibus ſuis poſt reditum in patriam *(g)*. Idem

Apud Goltz. in Gr. Tab. XXXI.

De U. et P. Num. Differt. V. pag. 274.

(f) Homerus Libro XXIII. Iliadis de curſu Equorum in ludis exequialibus Patrocli: *Equi autem volabant, pulverem excitantes per campum, τοὶ δὲ πέτοντο κονίοντες πεδίοιο.* Silius Ital. Lib. XVI. v. 334. ſeq. de Equo Circenſi: *Evolat ante omnes - - et ventos poſt terga relinquit.*

(g) Nepos de Alcibiade Cap. 6. *Illum unum omnes proſequebantur, et, id quod nunquam antea uſu venerat, niſi Olympiae Victoribus, coronis aureis aereisque vulgo donabatur.* Quod hic ad Olympionicas reſtringitur, omnibus ludorum victo-

Idem victor accipiebat etiam *palmam* in omnibus ludis, etiam Pythicis. Nam palma hoc habet peculiare prae coronis, ut, cum coronae varient in ludis, et *laurea* detur in Pythicis, *oleagina* in Olympicis, *pinea* in Isthmicis, *apiana* in Nemaeis, palma sit praemium omnibus ludis commune. Pausanias, postquam quatuor genera coronarum suis quaeque ludis et ludorum locis propria recensuisset, addit: *Ludis plerisque palmae praemium decernitur: victoresque cuncti ubique locorum palmam dextera praeferunt.* Idem aliis verbis dicit Vitruvius in Praefatione Libri noni: *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea, vicissent, Graecorum majores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum PALMA ET CORONA ferant laudes, sed etiam cum revertuntur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* Quanam de causa alia certamina alias habeant coronas, *palmam communiter omnia*, quaerit Plutarchus in Sympofiacis, et quaestionem ex miranda naturae dote hujus arboris expedit, quae dum prementi non solum non cedit, sed etiam resistit in contrarium fornicata, pulcherrimum Victoriae in omnibus certaminibus symbolum praebet. Quod ex Plutarcho repetit Gellius hisce verbis: *Si supra palmae (inquit) arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat: non deorsum palma cedit, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, et sursum nititur curvaturque. Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam signum esse placuit victoriae, quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat.* Hinc vincere Graecis dicitur νικᾶν, quod

Pauf. Lib. VIII. cap. 48.

Sympof. VIII. Quaest. 4.

Gell. Lib. III. cap. 6.

victoribus commune fuisse, ut scil. auro coronarentur in patrias suas reversi, credibile est. Solonem Victori ludis Isthmiis centum drachmarum praemium, Olympiacis quingentarum constituisse, tradit Plutarchus in vita ejus p. 91.

quod eſt quaſi νὴ εἴκειν non cedere, quia per victoriam concipiebant vim majorem, quae nulli cedit.

IX. Philippum devictis Illyriis Tropaeum in loco pugnae excitaſſe, teſtis Diodorus: *tandem ſuis receptui ſignum dedit, excitatoque TROPAEO, defunctos in acie ſepultura cohoneſtavit.* Negat hoc Pauſanias, eo quod contra patrium morem Regum Macedoniae fuerit, Victorias tropaeis teſtatas relinquere *(b)*. Sed pro Diodoro eſt nummus Philippi apud Goltzium, in quo vir nudus tropaeum ſtruit ſuper trunco erecto, adjectis literis, Β. Φ. ΑΥ. id eſt, Βασιλέως Φιλίππȣ ΑΥτοκράτορος. Cel. Liebius conatur hunc nummum ex alio ſimili Gazae Gothanae, in quo idem homo tropaeo erigendo occupatus cum monogrammate AV conjungitur, in gratiam Pauſaniae emendare, exiſtimans, illud ad *Antipatrum* pertinere, et hunc, quamvis nulla victoria potitum, potuiſſe tamen *vana ſpe victoriarum, quas ſibi pollicebatur, inflatum, et boni velut ominis cauſa*, tropaea in nummis ſuis exhibere. Neſcio an ullum tam ſtolidi auſus exemplum ex nummis genuinis et vere antiquis afferri poſſit. Nam ſpe victoriae tropaea erigere, quid aliud eſt, niſi triumphum ante victoriam canere? Et ſi talia tropaea in nummis genuinis extarent, actum eſſet de fide eorum hiſtorica. Hinc ſuſpicor, monogramma nummi Gothani non eſſe

Diod. Lib. XVI. pag. 512.

Goltz. in Gr. Tab. XXXI, 1.

Gotha Nummaria pag. 105.

(*b*) Pauſan. Lib. IX. cap. 40. *In Chaeronenſium agro duo ſunt trophaea: ea dux Romanorum Sylla erexit, Taxilo fuſo, Mithridatis copiarum Duce. Amyntae quidem filius Philippus, neque ad Chaeroneam, neque uſpiam vel de Barbaris, vel de Graecis a ſe victis ullum erexit trophaeum: neque fuit omnino patrius Macedonibus mos, victorias ſuas trophaeis ullis teſtatas relinquere. Eſt a Macedonibus ipſis traditum, CARANUM Regem cum victo in pugna Ciſſeo, qui finitimis imperabat, Argivorum ritu trophaeum conſtituiſſe. Erumpentem autem ex Olympo leonem ita illud ſubvertiſſe, ut prorſus fuerit abolitum. Intellexiſſe Caranum, id ſibi merito contigiſſe, quod eo monumento erecto, ſpem ſibi reditus in gratiam finitimis praeciſiſſet: reliquo dehinc tempore, neque Caranum neque ſucceſſorem quemquam trophaeum ullum excitaſſe, quod nempe ſibi ad reditum in gratiam cum hoſtibus, loci aliquid relictum voluerunt. Satis certum fuit hujus rei argumentum, quod Alexander neque de Dario, neque de Indicis victoriis trophaeum ullum erigendum curavit.*

esse *Antipatri*, sed potius *Antigoni* Gonatae, et hunc imitatione Philippi nummos suos tropaeo signasse, ob insignem de Gallo-Graecis victoriam *(i)*.

X. Alexander, quamvis a patre Philippo in fine vitae repudiatus, eo tamen defuncto regnum tanquam patrimonium arripuit, favente exercitu. Atque ut tam suam, quam matris adulterae infamiam honesto titulo tegeret, oraculum Hammonis per nuncios praemissos disponit, quid sibi consulturo responderi cupiat. Templum igitur ingressus statim ab antistite *filius Hammonis* salutatur. Ille laetus Dei adoptione hoc se patre censeri jubet, eamque ob causam regio Diademati, quo Reges priores Macedoniae utebantur, *cornu arietinum*, tanquam argumentum divini generis annexuit. Hoc capitis ornatu cernitur etiam in nummis, non certe omnibus (nam in plerisque caput Alexandri exuviis leonis tectum Herculeam originem ostentat) sed perpaucis. Alium praeter aureum illum Goltzio depictum, et Nonnio explicatum, me non vidisse memini. Et si alium praeter hunc alicubi reperisset Spanhemius, eum haud dubie Operi suo rarioribus nummis refertissimo, insculpi curasset. Fidem autem hujus perdocti artificis, et praecipui Antiqvitatis nummariae instauratoris, GOLTZII inquam, tot nummis testatam, quos veros, non fictos esse, experientia post obitum ejus docuit, porro suspectam habere, hodie non licet, postquam totus paene Antiquariorum Chorus synceritatem ejus agnovit *(k)*. Interim nummo huic Goltziano fidem

Iustin. Lib. XI. cap. 11.

Goltz. Tab. XXXI. num. 2.

et

(*i*) De hac victoria agit Justinus Lib. XXVI. cap. 2. Si quis tamen malit monogramma nummi ad *Antigonenses* referre, et totam nummi Inscriptionem B. A. ΑΝ. ita legere Βασιλέως Ἀντιγόνου ΑΝΤιγονέων, per me licet, quia dubium non est, quin illi urbis suae conditori de hac victoria gratulari potuerint. Iidem non solum Philippum, sed etiam Alexandrum imitari poterant, in cujus nummis itidem vir tropaeum struens repraesentatur, cum Epigraphe B. A. ΑΤ. id est, Βασιλέως Ἀλεξάνδρου ΑΤ[illegible].

(*k*) Pro fide et fama Goltzii pugnant clarissimi viri, Valentius, Jobertus, Bandurus, Liebius Valentius in Praef. ad Fam. Rom. art. XII *Ut autem sua Goltzio gloria fidesque constet, occurrendum censeo Patini duriori de eo sententiae,*

et auctoritatem conciliat similis argenteus, e Museo Comitis Winchilsaensis ab erudito Haymio adductus, et praeter eum Scripto-

tiae, sic enim pronunciavit Imperatorum Nummorum in Praefatione: „Tertiam Fastorum suorum Consularium iis numismatum exemplis implevit, quorum genuinas origines nemo unquam hominum vidit, nemo fortasse unquam videbit „ *At ego contra post accuratissimum examen affirmare possum nullum omnino esse debere suspectae fidei, quando quidem tam exacte ad historicam veritatem consentiunt tum figurae omnes, tum inscriptiones, nulla ut legitima possit esse de genuina ipsorum origine dubitatio.*

Jobertus in Notitia rei nummariae praeceptione IV. p. 50. Edit. Lips. *Non possum hic mihi temperare, quin de aestimatione paucis edisseram, quam Goltzius Antiquarios inter habet, utpote quibus ille creditur esse parum accuratus nec fidus satis, et quasi qui enarret nummos nusquam gentium visos. Ut idem adeo experiatur Plinii fatum, quem demirantur Physici omnes, et omnes quoque fide non dignum censent. Sed ad utrumque una fidelia dealbandum defendendumque sufficit id saltem affirmare, primum quidem, quod doctus ille chalcographus nullam causam et suo secutisque seculis imponendi habuerit, ac deinceps, quod indies fere nummorum plurimi detegantur, quos creditum est velut per jocum a Goltzio effictos, quemadmodum et quotidie miracula naturae inclarescunt magis, habita hactenus inter suavium somniorum umbras et humani ingenii deliramenta, et quasi quae retulerit Plinius fide ut plurimum aliorum nixus ac credulus nimis.*

Bandurus Bibliotheca Nummaria p. XIII. *Ut in Graecis, ita in Romanis Antiquitatibus cum ingenti successu sese exercuit Huberti Goltzii industria; tametsi enim fuere olim, qui laudi ejus detraherent, suspicione injecta, quasi plurimis genuinis numismatibus, non nulla quae in mundo non erant, sciens ac volens admiscuisset; eorum tamen, quae in dubium revocaverant, non pauca e tenebris deinde eruta fuisse certum est; in iis vero de quorum falsitate constat, deceptum hunc fuisse eo libentius credimus, quod idem Vico, Lazio, et caeteris, qui rem Nummariam illa aetate tractaverunt, usu venit, ut recentes confictos nummos ab antiquis haud satis certo judicio discernerent: quae cum ab aliis jam animadversa sint, eruditissimi Antiquarii famae et existimationi abunde consultum existimamus.*

Liebius in Gotha numaria Cap. V. art. 25. *Goltzii fidem admodum laborare viris doctis fuit persuasum, adeo ut, qui illi uni produeuntur aut laudantur nummi, non immerito in dubium vocari posse videantur. Operae igitur pretium faciunt, qui hujusmodi monumenta rariora, si quae in Museis supersunt, denuo publici faciunt juris, ut viri optimi, et meritis in has litteras jure suo florentissimi fides, ab suspicione hac magis magisque liberata, tuta in posterum perstare possit. Huc spectat nummus Locrorum sequens, a Goltzio inter numismata magnae Graeciae relatus.* Idemque officium non huic tantum nummo, sed etiam Magnesiorum ad Maeandrum, a Goltzio itidem producto, praestitit aequissimus arbiter ex immenso et toto Orbe celeberrimo Principis sui Thesauro.

Ipse

Scriptores multi, qui Alexandrum eodem illo habitu, quo se in hoc nummo conspiciendum praebet, depingunt. Ex omnibus, quos immensa lectio illustri Spanhemio suppeditavit, sufficiet hic laudare Clementem Alexandrinum, cujus haec sunt in Protreptico verba: *Voluit autem et Alexander Ammonis filius videri, et Cornutus insculpi a statuariis, pulchrum hominis vultum cornu dedecorans.* Ubi vox ἀγαλματοποιὸς etiam caelatorem significare potest. Quodsi hic nummus (aureus inquam Goltzii) in nullis amplius Museis reperiatur, necesse est, eum alicubi furto sublatum, et postea conflatum esse.

Spanh. Diss. VII. pag. 388.

Protrept. pag. 36.

XI. Quaeri potest, an Alexander utrumque diadema, tam simplex quam cornutum a Persis acceperit? Utrumque video placere illustri Spanhemio, etiamsi forte neutrum satis exploratum sit. *Diadema*, uti notum, proprie est fascia seu redimiculum regii capitis, a διαδέω cingo, revincio, redimio, sic dictum *(l)*. Primos Graeciae et Macedoniae Reges imitatione Regum Persarum, qui Cidarim vel Tiaram suam caerulea fascia albo distincta-

Spanh. Diss. VII. pag. 466.

 cir-

Ipse celeberrimus Havercampius, quamvis Goltzii fidem in ipso Thesauri Morelliani frontispicio labefactare visus, in multis tamen Goltzii fide opus habet ad interpretationes suas stabiliendas. Et in Praefatione sententiae Morellianae duritiem, qua omnes nummi Goltziani, quorum veritas nondum deprehensa est, inter dubios ponuntur, ita mitigat, ut *plurimos a Goltzio visos fuisse revera, qui jam sint deperditi*, inficias ire nolit.

Potuisse tamen Goltzium pro conditione humana in quibusdam hallucinari, dubium non est. Et eatenus Goltzio, aut ulli alii *temere fidem non esse mancipandam*, Spanhemio monenti non refragamur. Vide eum in Diss. IX. pag. 260. Sed aliud est decipi, aliud decipere. Ab illo nemo liber est: ab hoc, quia voluntarium est, et viro honesto indignum, Goltzium liberandum censemus, quicquid dicant accusatores ejus, qui memoriam viri meritissimi, quam grata mente recolere deberent, maculare praesumunt.

(*l*) Diadema veri nominis fasciam fuisse, et in vinciendis rebus aliquando vulgaris fasciae munus obiisse, tradit Justinus Lib. XV. Cap. 3. hisce verbis: *Lysimachum desiliens equo Alexander hastae cuspide ita in fronte vulneravit, ut sanguis aliter cludi non posset, quam Diadema sibi demptum Rex, alligandi vulneris causa, capiti ejus imponeret. Quod auspicium primum regalis Majestatis Lysimacho fuit.*

circumligabant *(m)*, diadema suum efformasse, satis probabile est. Quamvis enim in colore aliqua fuerit differentia, ita ut imitatores isti non caerulea, ut Persae, sed candida fascia uterentur, quod allatis plurimis Scriptorum locis demonstraverunt Lipsius et Raderus *(n)*; hoc tamen qualecunque discrimen originem diadematis Persicam incertam reddere nequit. Unde Persarum Reges fasciam suam acceperint, nescio an ullus auctorum investigandum susceperit? Mihi videntur eam accepisse a Sphaera coelesti, vel a Zona signifera, quam Manilius *fasciam* vocat, vel ab illo circulo, quem motus Solis perpetuus in coelo describit, et capiti aptasse tanquam symbolum Gloriae et Majestatis, quod talis ornatus filios Solis, quales se Persarum Reges jactabant, maxime deceret. Haec prima fuit Regum corona, quam mox excepit circulus aureus similitudine fasciae caput ambiens: a quo deinceps omnes coronas, primo quidem radiatas, et a radiatis reliquas, quae radios in apice coëuntes habent, ortas esse, mihi persuadeo *(o)*. Hujus vero diadematis primum Regibus auctorem fuisse Alexandrum, majorum ejus imagines in nummis conspicuae credere vetant. Archelaum capite diademato supra vidimus. Eodem capitis ornatu cernitur Philippus in duobus aereis Nummophylacii Lipsiensis, cum Equite in parte aversa, et nomine ΦΙΛΙΠΠΟΥ in uno, et ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ in altero.

Manil. Lib. I. Astron.

Mani-

(*m*) Curtius Lib. III. Cap. 7. *Cidarim Persae regium Capitis vocabant insigne: hoc caerulea fascia albo distincta circuibat.*

(*n*) Lipsius in notis ad Taciti Annal. VI. cap. 37. Raderus in Comment. ad Curtii locum proxime allegatum: *Forma Diadematis non fuit nisi fascia candida et tenuis, qua regum frontes cingebantur, qualis in priscorum Regum iconibus visitur. Lucianus* ταινίαν λευκὴν *candidam taeniam seu fasciam dicit. Suetonius candidam fasciam. Silius vittam albentem. Ammianus fasciolam candidam.*

(*o*) V. Gloss. Germ. V. *Krone*. Saxones antiqui coronam regiam vocant *Wulder-beag*, i. e. *circulum gloriae*, quod originem ejus eleganter exprimit.



Manifesto satis indicio, Alexandrum Diadematis usum non immediate a Persis, sed a progenitoribus accepisse. Iustinus, qui contrarium mandare videtur *(p)*, recte explicandus est, ne nummi mendaces inveniantur. Quod fieri potest, si eum nihil aliud dixisse arbitremur, quam quod de Alexandro dixit Curtius: *Itaque purpureum Diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemque Persicam sumpsit (q).* Nam id genus diadematis, sive seorsim sive cum pileo spectatum recte vocatur *regibus Macedoniae antea incognitum.* Qui negant, Persicum et Macedonicum Diadema ob quamcunque similitudinem confundunt. *Curt. Lib. VI. cap. 11.*

XII. De origine cornuum in Diademate Alexandri duae sunt Eruditorum opiniones: Quae etiamsi se mutuo tollant, et una consistere non possint, conjugi tamen ab ill. Spanhemio videntur. *Arietina Cornua*, inquit, *gestasse Alexandrum vidimus, in natalium scilicet memoriam cum Ammone* Κριοπροσώπῳ, *et illius exemplo Lysimachum, Ptolemaeos, Demetrios, aliosque ex Herois illius successoribus. Cujus moris ratio et haec forte dari posset, quod sicut* DIADEMA *a Persis, ita etiam* ARIETINA CORNUA *Diss. VII. pag. 397.*

(*p*) Justin. Lib. XII. cap. 3. *Post haec Alexander habitum Regum Persarum et Diadema, insolitum antea Regibus Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat, transiret, assumit.*

(*q*) *Purpureum* Diadema vocat, quod antea *caeruleum* dixerat, quia scil. Latine scribentes colores cognatos nominibus confundere solent. Mare, quod Cicero *caeruleum*, Virgilius *purpureum* vocat.

CORNUA ab iis mutuatus sit Alexander. Verum cum moris istius Persici testes idonei desiderentur, nec cornua a Persis accepta divinae originis indices esse possint, verisimilius est, Alexandrum, cum filius Hammonis censeri vellet, ea sola de causa cornua ejus affectasse, ut oris cultusque similitudine genitorem suum in se ostenderet. Quodsi Alexander non a Persis, sed ab Hammone cornua sua accepit, quaestio recurrit longe difficillima, cur Hammon ipse cornutus sit?

XIII. Ad hanc quaestionem ut respondeam, ante omnia suppono, Deos Gentilium ex hominibus desumptos esse. Nam hoc narrant Aegyptii, et hoc etiam Alexander scribit ad matrem, tanquam secretum non vulgandum, et metu a Sacerdotibus extortum *(r)*. Hoc supposito, cornigeros Deos e pastoribus sumptos esse reor, iis temporibus, cum homines adhuc vitam pastoritiam agerent. Nam hoc, praeter exemplum *Panos*, principis pastorum Arcadiae, comitumque ejus, Faunorum et Satyrorum, cornua ipsa declarant, quae certe sunt inventum pastoritium, quo pastores illi antiqui gloriam frontis, animalibus a natura concessam, imitari voluerunt. Et hujus quoque generis ac aetatis Deum fuisse Hammonem suspicor, pastorem inquam, seu principem pastorum, et forte Regem vel Ducem eorum pastorum, qui olim Aegyptum quingentos annos tenuerunt, etiamsi in Dynastiis Manethonis juxta morem istorum temporum, quo Reges πολυώνυμοι erant, alio nomine con-

(r) Cyprianus Lib. de Idol. Vanit. *Alexander magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suae potestatis proditum sibi de Diis hominibus a sacerdote secretum.* De hac Alexandri Epistola vide plura apud Georgium Minoritam in Observationibus ad cap. 3. Tertulliani *de pallio.* Plures auctores idem de Diis sentientes convasavit Steph. Baluzius in notis ad Cyprianum, omisso tamen Plinio, Tertulliano, Augustino, aliisque innumeris. Quod observandum contra Panelium, virum doctum et facundum ex Jesuitarum familia, sed de natura Deorum praeclare nimis sentientem, qui, dum omnes Gentilium Deos ad unius veri ac summi Dei Numen referre conatur, non solum contra torrentem optimorum scriptorum lembum impellit, sed etiam de vera Religione male meretur. Vide eum in *Cistophoris* p. 35. 94. 101. et passim.

conſignatus inveniatur. Tertullianus certe Hammonem *ovium divitem* vocat: cujusmodi elogio principes tantum viros ab Homero condecorari ſupra vidimus. Effigies ipſa, cornibus arietinis ornata, paſtorem bellicoſum et praepotentem indicat. Nam aries eſt animal pugnax et bellicoſum, et a pugna nomen accipit in plurimis et vetuſtiſſimis linguis *(s)*. Idemque eſt dux gregis, et ductor ſignorum coeleſtium: et conſequenter ſymbolum Belli ducis et Herois, qui exercitum ſuum ipſe ducit. Ob eandem caufam cornua arietis, quia huic animali nonſolum ornamento, ſed etiam praeſidio ſerviunt, cenſentur regiae poteſtatis et dignitatis inſignia. Et hiſce cornibus Hammonem in expeditionibus bellicis galeam ſuam ornaſſe, tradidit Diodorus *(t)*. Unde mirum non eſt, eum a ſuis poſt obitum ſub effigie hominis cornuti conſecratum eſſe. Videtur autem in numerum Deorum relatus hanc praecipue ob cauſam, quod ampliſſimas regiones, Thebaidem et Libyam, regno paſtorum adjeciſſet. Cujus rei indicium praebet, quod idem utrinque Deus, eodem nomine et eodem capitis ornatu, apud Thebanos et Libyas colitur, teſte Herodoto. Fanum ejus a *paſtore* exſtructum ferunt. Sed hic paſtor non fuit ipſe *Hammon*, etiamſi Pauſanias hoc dicat: ſed filius ejus *Dionyſus* (Latini Bacchum et Liberum vocant) qui et ipſe cornutus, quamvis alio cornuum genere inſtructus, colitur, utrumque commemorante Diodoro. Plura addere poſſem, de caſſide cornigera Sacerdotum Hammonis ex Silio Italico, de ariete Hammonis

Tertull. cap. 3. de pallio.
Supra cap. II. §. 4.
Herod. Lib. IV. cap. 181.
Pauſan. Lib. IV. cap. 23.
Diod. Sic. Lib. III. pag. 144.
Sil. Ital. Lib.

(s) Graecis dicitur κριὸς, a κρίω pulſo, ferio, Latinis *aries* ab ἄρης Mars, Celtis *hwrdd* ab *hurten* pulſare, Angloſaxonibus, Belgis et Anglis *ram* a *ramen* collimare, ictum intendere, Germanis *bock* et *ſchafbock* a *pochen* pulſare. Inde etiam eſt, quod Marti ſacer putatur.

(t) Diod. Sic. Lib. III. p. 144. *Ammon ille arietis caput effigiatum habebat, quod hoc ſigno galeam in bellis ornatam geſtaſſet.*

XV. Punic. verſ. 692. Memoires de Trevoux l'an. 1727. Août pag. 1444. Herod. Lib. II. c. 42.

monis comite ex nummo Cyrenaeorum aureo et pervetuſto Ducis Cenomanenſis, in Faſtis Eruditorum Trivultienſibus publicato, et de abſtinentia cultorum Hammonis ab ovibus ex Herodoto. Verum cum hoc loco originem cornuum in capite Hammonis illuſtraſſe, mihi ſufficiat, miſſo Hammonis cultu, ad Regem bicornem ejusque ſucceſſores revertor.


Juſtin. Lib. XIII. Cap. 4.

Spanh. Tom. I. p. 389. 397.

XIV. Alexandro per inſidias interfecto Monarchiae partes ſorte diviſas eſſe inter Principes exercitus, ſatis conſtat. Sed „non conſtat, an (quod vir magnus ſcribit) inſignia illa Capitis, „*cornua*, inquam, *arietina*, ad ſucceſſores Alexandri una cum Im„perii dignitate tranſierint, quo ſe vel oris vel habitus ſimilitu„dine, legitimos ejus et quaſi neceſſarios haeredes probarent. Contrarium potius patet ex *Ptolemaeorum*, *Seleucidarum*, aliorumque qui Alexandro ſucceſſerunt, nummis, in quibus nullum cornuum iſtorum veſtigium. Et auſim dicere, Alexandrum inter omnes Succeſſores in provinciis tam vaſti et terrarum paene finibus aequalis imperii, nullum habuiſſe inſignium capitis ſui imitatorem, ne *Lyſimachum* quidem, Thraciae regem. Quamvis enim hujus Regis nummi, quotquot in ditiſſima Antiquitatum penu Lipſienſi adſervantur (ſunt autem numero XI. ex auro puriſſimo fabricati, et in Gaza regis Decebali reperti (*u*) unus magni, reliqui minoris moduli, omnes exquiſitae pulchritudinis, et ſinguli peculiaribus notis literisque diſcreti, ut argenteos et aereos nunc omittam.) Caput oſtendant diadematum cum cornibus arietinis diademati annexis, et ex altera parte Minervae ſedentis et victoriolam dextra tenentis imaginem, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ, *Regis Lyſimachi:*

Dubi-

(*u*) De hac Gaza ſuo tempore reperta egit Lazius Comment. Rei Rom. Lib. XII. pag. 927. et ex illo Liebius in Gotha Numaria pag. 7.



Dubitari tamen poteſt, et dubitatum jam eſt a multis *(x)*, an hoc Lyſimachi caput ſit? Cur, niſi quia credibilius, Lyſimachum maluiſſe caput ipſius Alexandri nummis ſuis praefigere, ad oſtendendum, ſe legitimum ejus in regno Thraciae ſucceſſorem eſſe, quam proprium caput alienae divinitatis ſymbolis exornare, quod nemo ſucceſſorum Alexandri auſus eſt. Quamvis enim *Syriae* et *Macedoniae* Reges exemplo Alexandri audaciores facti eſſent, ut et ipſi, quamvis alias ob cauſas, cornuum geſtamen affectarent, et *pulchrum hominis vultum*, ſicut Clemens ait, *cornu dedecorarent*, certum tamen eſt, eos alio cornuum genere, et alio portandi modo, uſos eſſe, et a diademate Alexandri cornuto univerſe abſtinuiſſe.

 XV. Cornu


(*x*) Lud. Nonnius Comment. ad Graec. Goltzii pag. 194. *Numiſmata Lyſimachi nulla explicatione indigent. Siquidem ab una parte caput ejus ſpectatur arietinis cornibus, multi ſuſpicantur Alexandri eſſe.* R. P. Hanthaler Dial. II. §. 2. *Lyſimachus creditur vulgo, etſi, teſte Nonnio, ſuſpicentur multi, per Lyſimachum non ſuam hic, ſed Alexandri effigiem ſignatam eſſe.*

XV. Cornu Seleuci I. aliud eſt in galea, aliud in capite. Utrumque eſt cornu bovis, non arietis. Haymius, qui nobis haec cornua ex nummis Seleuci depicta dedit, cauſam cornuum non in Alexandro, ſed in ipſo Seleuco quaerit, qui tam vaſto fuit robore, ut taurum ferocem fugientemque ſolis manibus ad aram retraheret, laudatque *Suidam (Appianum* nominare voluit) qui eandem cauſam cornibus in capite Seleuci adſignat his verbis: *A Seleuco tradunt, cum Alexandrum immolantem Taurus effugiſſet, beſtiam cornibus prehenſam, eſſe retractam, eaque de cauſa capiti Statuae ejus addi cornua.* Idem dicit Appianus, quamvis aliis verbis. Hodie quidem indignum exiſtimamus, Principis vultum ob forte facinus cornu bovis dehoneſtari: quia ſcil. non eodem oculo res naturales, ut Orientales adſpicimus, quibus nihil turpe cenſetur, quod in doctrina Symbolica, qua maxime delectabantur, virtutis ſignificationem habet, et multo minus cornu, quod in ſacris quoque literis roboris et potentiae ſymbolum eſt.

Theſ. Brit. Vol. I. pag. 20. Vol. II. p. 17.

Appian. de Bell. Syr. pag. 124.

Sunt equidem alii Seleuci nummi, in quibus curioſi cornu arietinum ſupra aurem dextram conſpicere ſibi videntur. Verum quod illi cornu eſſe autumant, in nummis melius conſervatis eſt ala, gloriae vel victoriae. Seleucum diademate alato poſſidet S E N A T U S Lipſienſis in Apparatu ſuo nummario, quem hic depictum dabo.



Goltz. Tab. XXXVIII.

Demetrii cornu apud Goltzium, eundem habet flexum, et e temporibus prodit inſtar cornu bovis e fronte. Quale ſit hoc cornu,

cornu, et qua de causa a Demetrio usurpatum, ipse docet Spanhemius his verbis: *Taurinum omnino statuendum est, illudque a Demetrio usurpatum Liberi Patris exemplo, cujus cultum et mores aemulatus a Diodoro et Plutarcho traditur.* Cur vero Taurina cornua Baccho tribuantur, varia e veteribus affert in eadem Dissertatione, e quibus illud maxime nobis probatur, quod Bacchus usum cornuum in potando primus ostenderit. Nam hunc usum valde antiquum, et inter pastores, artium rudes, ortum esse, res ipsa docet. Fuisse autem Bacchum Ammonis filium, et regem pastorum in Aegypto, jam supra animadvertimus.

Diss. VII pag. 399. Diod. lib. XX. pag. 819. Plut. in Dem. pag. 889. Ibid. pag. 393.

Supra p. 13.

Pyrrhi cornu nullum, quod sciam, in nummis obvium est, sed in Historia tantum. Hircinum illud fuisse, et in casside regis erectum, verba docent Plutarchi: *Agnitus fuit ab eximia crista, et cornibus hircinis,* τραγικοῖς κέρασιν. Causa portandi haud dubie bellica fuit, ut scil. Rex vel Dux exercitus in praelio vel conflictu cum hoste, a suis militibus conspicuo signo cognosci posset (y). Qvale omnino erat cornu hircinum, symbolum pulcherrimum, cum Belliducis, qvi sui exercitus ipse ductor est, sicut *dux gregis ipse caper*, tum regiae potestatis et eminentiae, qvia in his cornibus et decus et praesidium capri consistit. Antiqvum eorum usum, praecipue in expeditionibus Regum bellicis, praeter Phaedrum, videtur etiam indicare Virgilius, de Turno loquens,

Plut. in Pyrrho pag. 389.

Ipse dehinc auro squalentem alboqve orichalco
Circumdat loricam humeris, simul aptat habendo
Ensemqve Clypeumqve, et rubrae CORNUA cristae.

Aen. XII. vers. 87.

Inde porro est, qvod Reges Persarum et Medorum in sacris literis vocantur *hirci magnis cornibus*, et qvod futuri Reges iisdem

Dan. VIII. 3. 20. seq.

I 3

(y) Alludit ad hunc priscorum morem Phaedrus Lib. IV. fab. 5. de muribus et mustelis:

Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conspicuum in proelio
Haberent signum, qvod seqverentur, milites.

dem cornibus defignantur. Haec interim cornua, etiamfi eandem fignificandi vim habeant in arte fymbolica, cum *arietinis* non debent confundi in difputatione de cornibus, et multo minus cum cornibus *Ammonis* et *Alexandri*.

Hoc capitis ornatu, *cornu* inquam *hircino*, qvo Pyrrhus Epiri et Macedoniae Rex, et fortaffe etiam Perfarum et Medorum Reges ufi funt, in nummis confpicua eft galea *Tryphonis* Syriae Regis, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. Et in alio nummo, quem SENATUS Lipfienfis inter cimelia fua numerat, caput galeatum *Philippi*, penultimi Macedoniae Regis, cernitur, ex quo duo hircina cornua prominent.

Apud Villalpandum Com. in Ezech. Tom. II. Cap. XLIX. pag. 337. et Vaill. Hift. Reg. Syr. pag. 295.



Qvod caput, etiamfi non in Macedonia, fed Romae a *L. Philippo*, Marciae Gentis viro, excufum fit, non ideo fufpectum haberi debet; Qvia verifimile non eft, hunc Lucium voluiffe falfam imaginem inter Familiae fuae ornamenta affumere, aut caffidem cornigeram, quae nulla unqvam fuit, capiti Philippi imponere, praefertim cum eo vixerit tempore (fuit autem Legatus ad Perfeum, Philippi hujus filium), qvo geftamen militare Philippi adhuc in recenti omnium memoria erat, et mendacium nummi a qvovis deprehendi poterat.

Inter illuftres Antiquitatis cornutos eft etiam Antigonus ille, quem in ferie Regum Macedoniae proxime excipit Philippus. Vulgo *Antigonum Tutorem* vocant, quia Philippo, cum adhuc parvulus effet, tutor datus. Is, quum Arcadiam ab

Juftin. Lib. XXVIII. c. 3.

ab hoſtilibus Lacedaemoniorum copiis liberaſſet, pulſo in fugam Cleomene (z), victoria ſua promeruit, ut tanquam alter Deus tutelaris Arcadiae (a) *cornua Panos* in fronte, et pedum ejus in dorſo geſtaret. Sic enim depingitur in nummo argenteo Theſauri Brandeburgici et Muſei Lipſienſis, ſive Heracae in Arcadia, ſive Heracleae in Macedonia (utrique enim conjecturae monogramma nummi ſavet) excuſo.



Pars antica repraeſentat Caput Antigoni in ſcuto Macedonico, Panos Arcadici attributis affectum, poſtica Palladem, Macedoniorum Deam, pugnantis habitu, dextra ſcutum obtendentem, ſiniſtra fulmen vibrantem, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. HP. Cujus nummi veram interpretationem ingenio et eruditioni Begeri debemus. *In Theſ. Br. Num. Graec. pag. 247.*

Plura non addo, quoniam ex hactenus dictis et demonſtratis, quid de cornibus ſucceſſorum Alexandri ſtatuendum ſit, jam ſatis elucet. Nunc, ut etiam de nummis urbium et populorum Graeciae, corumque indole, in tranſitu aliquid dicamus, ordo Archaeologiae abs nobis poſtulare videtur.

CAP.

(z) Hujus belli meminit Polybius Lib. II. Hiſt. cap. 69.

(a) Virgil. Georg. III. *Pan Deus Arcadiae.* et Georg. I. *Pan ovium cuſtos.*

CAPUT VIII.

DE RELIQVIS GRAECORUM NUMMIS VETUSTISSIMIS.

I.



Reliqui Graecorum nummi, qui vel a *Populis*, vel ab *Urbibus*, vel a *Coloniis* cusi sunt, singularem quoque attentionem merentur, nonsolum ob praerogativam vetustatis, quatenus nummis Regum aetate pares, et Romano imperio antiquiores sunt, sed etiam hanc maxime ob causam, quod toto genere differant ab iis, qui post Graeciam a Romanis subjugatam ex officinis Graecorum prodierunt. Tunc enim Graeci certatim victoribus adulari, Imperatores, Senatum, Romam, Deos appellare, Neocorias, olim Diis, nunc Principibus sacras, jactare, numerare, et figuras atque inscriptiones antea non usitatas, et foedissimae servitutis indices, nummis suis imprimere coeperunt. Exceptis forte Atheniensibus, qui ab hac assentationis labe semper visi sunt immunes, et ante Vespasianum Imp. nullius Principis Romani nomen et vultum in nummis suis ferre potuerunt.

II. Priusquam ad hoc genus nummorum accedamus, quaedam de statu Graeciae antiquo, ejusque in *Populos*, *Urbes*, et *Colonias* divisione, praemonenda sunt, quibus cognitis et perspectis interpretatio eorum facilius procedat. POPULI Graeciae alii aliis sunt *antiquiores*, alii *antiquissimi*. ANTIQUISSIMOS dico, qui *Familiam Titanum*, Saturnum, Jovem, Neptunum etc. in numerum Deorum retulerunt, quorum Historiam ex ultima antiquitate investigavit Pezronius in *Antiquitatibus Celticis*. Caeteros ab his oriundos ANTIQVOS appello. Qvales censentur omnes, qvi diu ante bellum Trojanum floruerunt, qvos inter principem locum tenent *Argivi*, *Arcades*, *Attici*, *Boeoti*, *Lacedaemonii*, *Thessali*, *Corinthii*, *Cretenses*,

tenſes, aliique. Horum omnium res valde vetuſtae ſunt, et ante Troica tempora celebres. Ab initio ſparſim habitabant ſub regibus ſuis, et vitam urbanam diu ignorabant, ſed plerumque male tuti, et vicinorum inſidiis expoſiti. Cui malo ut Reges occurrerent, multitudinem per agros et vicos diſperſam congregarunt, et intra moenia habitare docuerunt. Sicqve ortae ſunt URBES, qvarum antiquiſſimae a Regibus conditae memorantur, *Athenae* a Cecrope, *Thebae* a Cadmo, *Tegea* a Tegeo, Lycaonis filio, *Corinthus* a Siſypho, alia ab aliis. Familiis Regum extinctis popularis libertas caput erigere coepit. Qvo factum, ut in Graecia, qvae multis antea Saeculis Regibus paruit, tot paene Respublicae eſſent, qvot populi aut provinciae, paucis exceptis, qvi priſco more Regibus uti maluerunt.

III. Qvando terra non ſufficiebat multitudini alendae, aut multitudo tam abundans erat, ut vix regi poſſe videretur, tunc aliqvam ejus partem foras mittebant, novae habitationis qvaerendae cauſa. Hoc eſt qvod COLONIAS vocant, qvarum aliae ſunt POPULORUM, aliae URBIUM. Hujus generis Urbes vocantur antiqvo ſenſu *Metropoles*, qvod aliarum Urbium matres, et non qvod primae gentis ſuae urbes eſſent, etiamſi hic qvoqve ſenſus illis competat. Pleriqve COLONI, qvamvis extra ſolum natale longe deducti, ſolebant tamen conditorum ſuorum inſtituta ſeqvi, eorumqve ſicut Linguam, ita etiam ritus et ſacra ſecum transferre, nonnunqvam etiam nomen et inſignia ſervare, et ad poſteros transmittere. Hinc Dii communes et ſymbola communia plerumqve ſunt antiqvae patriae indicia, etiamſi nomen eam occultare videatur.

IV. Nummorum huc ſpectantium ſtudium, omnibus ad hanc eruditionis partem adſpirantibus multam oblectationem adfert, nonnullam etiam utilitatem, qvamvis non tantam, qvae ſpiſſis voluminibus extolli mereatur. Nam Hiſtoriam patriae, et res domi foriſque, qva pace qva bello geſtas, monetae tanqvam monumento publico inſculpere, et figuris ingenioſe in-

ventis repraeſentare, a more Graecorum fere alienum eſt: in qvorum nummis tantus eſt earum rerum neglectus, et tanta ex adverſo fabularum affectatio, ut omnibus rite exponendis, Mythologia ſola ſufficere videatur. Paucos excipio, in qvibus fabulatores iſti vel Gentis ſuae vel urbium ſuarum origines, ſive veras ſive falſas, certis qvibusdam ſignis et ſymbolis exprimere ſolent, qvorum cognitio ad hiſtoriam ſpectare videtur. Nos Archaeologiae memores, hoc loco non omnes Graecorum nummos, ſed pauciſſimos ex antiqviſſimis ſelectos, et dicta comprobantes vel illuſtrantes (cui negotio pauca exempla ſufficiunt) in tranſitu conſiderabimus.

V. Nummi *Argivorum* habent A. magnum in medio alterius partis. Extat in Muſeo Lipſienſi nummus argenteus minimi moduli, in qvo inſigne Argivorum A. cum lupo dimidiato conjungitur.



An qvod primum nominis elementum ſit? An qvod Argivi *Alpha Graecorum*, id eſt, primi et vetuſtiſſimi videri voluerint? Prius ſe probavit Nonnio in Commentario ad Goltzii Graeciam. (*Apud Goltz. Gr. Tab. XII.*) Verum cum ſupra A. aliqvando legamus AP. id eſt, ΑΡΓΟΣ vel ΑΡΓΕΙΩΝ, alius ſuſpicari poſſet, Argivos hac litera non tam ſui nominis, quam Graeciae initium ſignificare voluiſſe. Eſt enim A. ſicut litera prima et numerus primus apud Gracos, ita etiam initii et principatus ſymbolum. Potuiſſe autem Argivos hanc ſibi gloriam jure aliqvo adſerere, vel hinc patet, cum qvia Graeci omnes ab initio dicti ſunt Argivi, tum quia poſt initia *Inachi*, primi Argivorum Regis, et filiae

filiae ejus *Junonis Argivae*, in rebus Graeciae nihil est antiqvius *(b)*. Id unum huic obstare conjecturae videtur, qvod illud ΑΡ. non necessario sit ΑΡΓΟΣ, sed nomen Magistratus inchoatum esse possit. Adsunt in iisdem nummis praeter literam A. Deorum patriorum insignia, aqvila Jovis, noctua Minervae, clava Herculis, Delphinus Neptuni, lupus Apollinis, *Lycii* puta, vel *Lycaei*, qvem, qvod Argolidem a lupis ovilia vastantibus liberasset, sub nomine lupini colebant *(c)*. *Murem* qvoqve ab Argivis monetae insculptum fuisse, Pollux narrat. Cujus signi ratio est, sive qvod *Appollinem Smintheum*, a muribus profligatis, ut postea dicetur, sic dictum, juxta *Lycium* vel *Lycaeum* colerent (nam Sminthei nomen et cultus, sicut est valde antiqvus, et jam Homero apud Strabonem memoratus, ita in multis Graeciae locis fuit *(d)* eodem teste): sive qvod licentia vetustatis se terrae filios jactarent. Nam mus apud Graecos terrigenarum symbolum est, juxta Oraculum Teucris datum, *ut sedes ibi figerent, ubi terrigenae* (id est, mures) *eos adorirentur*. Et mures in Aegypto e terra nasci, vulgo creditum est *(e)*.

Poll. Onom. Lib. IX. cap. VI. segm. 84.

Strabo Lib. XIII. p. 604.

VI. Ab *Argivis* genus ducunt *Aeginetae* in opposita continenti insula: non tantum Homerici illi, qui, dum signa Principum Argivorum in bello Trojano seqvuntur, hoc ipso, cujus gentis coloni sint, testari videntur: sed universe omnes,

Hom. Il. 2. in enum. Nav. v. 69.

K 2 qvi

(b) Inachum in Graecia regnasse anno Abrahami centesimo qvadragesimo qvarto, ante Cecropem CCC. ante excidium Trojae CCCLXXIII. annis, scribit Ubbo Emmius Libro I. de Graecia Vetere.

(c) Pausanias inter Apollinem *Lycium* et *Lycaeum* distinctionem facit, et aliam cognomenti rationem de *Lycaeo*, aliam de *Lycio* affert Lib. II. cap. 9. et cap. 19. Illam, qvam allegavimus, secutus est Harduinus in explicatione nummi, alteram Begerus. Ambae conveniunt in lupo, sed maxima cum differentia.

(d) Strabo Lib. XIII. pag. 604. 605.

(e) Vide, qvae inferius ad §. 18. de muribus ex Plinio et Macrobio notavimus. Murium considerationem ex nummis, a Spanhemio omissam esse non miror. Qvam multa effugiunt sensus, innumeris rebus simul intentos!

qvi ab initio Aeaco, et poſtea Heraclidis ad Phidonem uſqve Heraclidarum undecimum paruerunt, et antiqvo ſcommate *Myrmidones* vocantur, non qvod (velut fabulae jactant) ex formicis in homines mutati, aut a Jove e terra prolati fuerint, ſed qvod agriculturae cauſa durum Inſulae ſolum formicarum inſtar perfoderent, prout Strabo contra fabulatores affirmat. Hos Pauſanias ἀρχαίες ſeu primitivos vocat, auctosque ab Argivis narrat, etiamſi longe veriſimilius ſit, ob fabulae de formicis abſurditatem, illos ab Argivis initium aeqve ac incrementum accepiſſe. Verba ejus ſunt: *Interjectis deinde temporibus Argivorum pars ea, qvae Epidaurum cum Deiphonte occupavit, in Aeginam transmiſit, atqve ejus inſulae indigenis permiſta, Dorienſium in eam tam mores qvam lingvam intulit.* Inſulam hanc prima monetae fabrica nobilitatam eſſe, ſupra vidimus, productis in medium duobus nummis vetuſtiſſimis, qvorum alter *Phidonis*, alter *Aeginae* nomen prae ſe fert. Alia et antiqvior laus eſt, qvod Aegina profecti, *Phocenſes* Parnaſſi accolas condiderunt, a qvibus deinceps *Phocaeenſes* in Aſia minore, *Velienſes* in magna Graecia, et a Phocaeenſibus *Maſſilienſes* in Gallia, rurſumqve a Maſſilienſibus aliae civitates originem ſuam traxerunt. Qvarum rerum memoria partim literis tradita, partim nummis impreſſa eſt, obſcuriore qvidem ſignificatione, ſed ſatis luculenta, ſi nummis praeluxerit Hiſtoria.

Strabo Lib. VIII. p. 375. Pauſan. Lib. II. cap. 29.

Supra cap. V. §. 8.

VII. Qvi accurate loqvi volunt, eam Phocidis partem, qvae Delphos attingit, a Phoco Ornytionis filio, homine Corinthio, alteram, qvae circa Parnaſſum eſt, ab *Aeginetis* cum Phoco Aeaci filio claſſe profectis, deducunt. Oportet autem hanc Coloniam valde antiqvam eſſe, qvod, ut Pauſanias ſcribit, inter opera eorum maxime illuſtria, auxilia ad bellum Trojanum miſſa, et bellum cum Theſſalis ante Perſarum in Graeciam irruptionem geſtum, commemorentur. Vetuſtiſſimi eorum nummi caput prae ſe ferunt Phoci conditoris, et ex altera parte caput Leonis exerta lingua, cum epigraphe ΦΩΚΙΔΟΣ. Aquilam et tripodem omitto,

Pauſan. Lib. X. cap. 1.

Pauſan. l. c.

Goltz. Tab. VIII.

omitto, qvia praeter cultum Jovis et Apollinis nihil ſignificare videntur. At de capite Leonis qvaeri poteſt, cur nummis Phocenſium inſculptum ſit, cum in Graecia nulli reperiantur Leones? Reſponderi poteſt, nullos in Graecia unqvam Leones fuiſſe, non videri affirmandum, cum qvia Leones longe praeſtantiores viribus, qvam qvos Africa aut Syria gignant, inter Acheloum Neſtumque amnes collocat Plinius; tum qvia Leo Nemaeus ex laboribus Herculis notus eſt. Leoni Nemaeo *Parnaſſium* jungit Pauſanias: *Fuiſſe priſcis temporibus belluas multo immaniores et hominibus formidoloſiores, rei teſtimonio ſunt Nemaeus et PARNASSIUS LEO, Dracones in pluribus Graeciae locis, apri etiam Calydonius et Erimanthius* etc. Hinc veriſimile eſt, primos Phocenſes vicina Parnaſſi loca, ubi ſedes fixiſſe feruntur *(f)*, ab immani qvodam Leone, habitationes ſuas infeſtante, purgaſſe, et poſteros hunc Leonem, tanqvam eximiae virtutis tropaeum, in nummis poſuiſſe. Et hoc etiam ſigno Phocenſes diſtingvi voluiſſe a caeteris Graecis, ex donario eorum inferri poſſe videtur, de qvo Pauſanias: *Ex Phocenſibus, qui Elateam* (urbem Phocicarum maximam) *incolunt, obſidione, qva a Caſſandro urgebantur, liberati, Delphico Apollini LEONEM AENEUM miſerunt.* Cur Leonem, niſi proprium ipſorum inſigne ab antiqvo fuiſſet? Hinc adſentiri non poſſum cel. Meneſtrerio, qvi Leonem generale et omnibus coloniis commune inſigne eſſe voluit *(g)*. Nam primo nullas hujus typi aut ſimilitudinis rationes reddit: et ſecundo veteres ſibi habet contrarios, qvos ad deſignandam Coloniam, non Leonem, ſed Apem aut Bovem elegiſſe conſtat.

Plin. Lib. VIII. cap. 16.

Pauſan. Lib. I. cap. 27.

Pauſ. Lib. X. cap. 18.

VIII. *Phocaeenſes* a Phocenſibus ortos eſſe, ſatis perſpicuum eſt. Diſerte Pauſanias: *Phocaeenſes ab ea Phocide genus ducunt, quae ad Parnaſſum montem etiamnum eſt.* Sed non convenit

Pauſ. Lib. VII. cap. 3.

(f) Verba Pauſaniae, qvibus haec ſedes probatur, vide in paragrapho ſeqventi ab initio.

(g) Meneſtrier Introd. a l'Hiſtoire de Lyon pag. 444. *vetus Coloniae inſigne.*

venit inter omnes, unde *Velienses* descendant, a *Phocaeensibus* Asiae, an a *Phocensibus* Graeciae? Qvod dissidium nemini mirum videri debet, qvia similitudo nominum Φωκεῖς et Φωκαεῖς hoc efficere potuit, ut vel scriptores ipsi, vel descriptores eorum cum nominibus origines confunderent. Qvi primo *Eleatarum* seu ΥΕΛΗΤΩΝ, et postea *Veliensium* nomine innotuerunt, videntur, vel nomine prodente, ab illis oriri Phocensibus, qui amplissimam Phocidis urbem *Elateam*, a Xerxe combustam, incoluerunt *(b)*. Pone vero *Eleatas* in Lucania non a pristina patria *Elatea*, sed a nova sede *Elea*, a praefluente amne (ut ferunt) sic dicta, appellatos esse: Leo tamen adhuc superest in nummis argenteis eorum, cum epigraphe ΥΕΛΗΤΩΝ,



qvi litem dirimere videtur, vario qvidem corporis filo, gradiens, rugiens, vorans, cervum prosternens (tot enim modis in Museo Lipsiensi conspicitur,) haud obscuro tamen originis Phocensis indicio. Qvam etiam confirmare videtur communis Dea Minerva, cujus caput galeatum singulis nummis praefigitur. Nam Phocenses qvoqve *Minervam Pronoeam* coluisse, memoriae tradidit Pausanias.

Pausan. Lib. X. cap. 8.

IX. *Massilienses* Graecorum coloniam esse, extra dubium est. Hoc tantum in qvaestionem vocatur, unde Graeci illi, qvi Massiliam condiderunt, in Galliam venerint, e *Phocaea* Joniae, an e *Phocide* Graeciae? Si nostram sententiam interponere licet, pro-

(b) De hoc incendio vide Pausaniam Lib. X. cap. 34. et Herodotum Lib. VIII. cap. 33.

proximam Massiliensium originem a *Phocaeensibus*, remotam a *Phocensibus* repetimus. Nummi Massiliensium videntur utramqve originem figuris qvibusdam expressam prae se ferre. Adsunt in Nummophylacio SENATUS Lips. qvinqve argentei, et unus aureus, omnes capite Dianae pharetratae, et in aversa parte effigie Leonis cum epigraphe ΜΑΣΣΑ. ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ signati, et notis qvibusdam atque characteribus tam inter se qvam a Goltzianis discreti. In qvibus, qvin caput Dianae ad proximos conditores Phocaeos, Leo vero, Phocensium insigne, ad atavos Massiliensium respiciat, vix dubitari potest ab eo, qui primordia urbis, et gentilitatem Phocaeorum, non plane ignorat. Pleriqve Scriptores in eo consentiunt, Massiliam Cyri tempore a Phocaeensibus metu Persarum Ionia profugis, Dianae Ephesiae monitu, cujus simulacrum aliqvod, ceu comitem itineris, secum ducebant, conditam esse, et hanc Deam tanqvam praesidem Urbis primo loco cultam, et splendidissimo Fano honoratam esse ab incolis. Circumstantias temporis disce ex Pausania *(i)*, caetera ex Strabone. Qvae sicut stulto Graecorum ingenio, et ad falsas religiones propenso, satis conformia sunt, ita rationem praebent satis evidentem, cur Diana in nummis Massiliensium conspiciatur. Junctus Dianae Leo Phocensis avitae nobilitatis documentum est, et signum Massiliensibus tanto gratius, quo magis invisum Gallis, qvos in Expeditione Brenni Delphica graviora a Phocensibus, qvam a reliqvis Graecis perpessos esse constat. Cujus rei causam notavit Pausanias.

Strabo Lib. IV. p. 179.

Pausan. L. X. c. 3. in fin.

X. Condita Massilia Ligures incrementis Urbis invidentes Graecos assiduis bellis aut fatigabant ipsi, aut Regulos Gallorum ad bellum illis inferendum instigabant. Causas invidiae narrat Justinus. Narrat etiam structas insidias, iis circumstantiis, qvae, qvia alteram Massiliensium Deam, qvae tunc Graece loqventibus *Chloris*

(*i*) Pausan. Lib. X. cap. 8. *Massilienses sunt Phocaeensium (qvae Ioniae gens fuit) Colonia, eorum nempe hominum pars, qvi ex Phocaea Harpagum Medum fugere.*

Chloris, et poftea corrupto vocabulo *Flora* dicta *(k)*, ejusque cultum folemnem Urbi paene coaevum, perfpicue declarant, hic omitti non debent, praefertim cum verba Juftini nummis Maffilienfium miram lucem affundant, et ab illis viciffim accipiant. *His incitatus Rex* (Segobrigiorum Comanus) *infidias Maffilienfibus extruxit. Itaque folemni* ***FLORALIORUM*** *die multos fortes ac ftrenuos viros hofpitii jure in urbem mifit, plures firpeis latentes frondibusqve fupertectos induci vehiculis jubet: et ipfe cum exercitu in proximis montibus delitefcit, ut qvum nocte a praedictis apertae portae forent, tempeftive ad infidias adeffet, urbemque fomno ac vino fepultam armatis invaderet.* Confilium proditum, et infauftum infidiarum exitum nunc mitto, hoc unum obfervare jubens, qvod caput Florae in nummis Maffilienfium fatis freqvens fit, qvamvis non eo ornatu, qvem Harduinus defcribit *(l)*. Nam in duobus nummis Mufei Lipfienfis optime confervatis, qvorum alterum hic in gratiam curioforum delineabo, ——

Juftin. Lib. XLIII. cap. 4.



caput

(*k*) Ovidius Faftorum V. 195.

Chloris eram, quae Flora vocor, corrupta Latino
Nominis eft noftri littera Graeca fono.

Hinc cultus Florae apud Graecos vel nominis indicio antiqvior eft, qvam apud Sabinos aut Romanos. Unde porro credibile fit, primos Maffilienfes eum cultum e Graecia in Galliam fecum adportaffe.

(*l*) Harduin. in Num. Ant. Pop. et Urb. ΜΑ. *et* ΜΑΣΣΑ. *Nummi ex argento obvii: exqvibus funt, qui Floram Deam exhibeant, redimito floribus capite, et qvalis a Nafone defcribitur Lib. IV. Faftor.*

Mille venit variis Florum Dea nexa coronis.

caput Deae non corona florea, sed frondibus arboreis redimitum cernitur, qvia, ut ipsa ait apud Ovidium,

Vere fruor semper, per me nitidissimus annus, *Fast. V. 206.*
Arbor habet frondes, pabula semper humus.


Operae pretium erat, Floraliorum apud Massilienses celebritatem et antiqvitatem ex primordiis Urbis monstrasse, cum qvia Harduinus primam ludorum Floralium institutionem Romanis tribuit, et nullam Justini, qvi solus nummum interpretari, et errorem ejus corrigere poterat, mentionem facit: tum qvia dubium non est, qvin doctissimo Begero, si locum Justini ante oculos habuisset, vox illa, *nullum Florae* in nummis Massiliensium *indicium est*, minime excidisset. *Thes. Brand. Num. Graec. p. 362.*

XI. *Colonias Massiliensium* summa accuratione investigavit et recensuit Erasmus Vindingius in vastae eruditionis libro HELLEN inscripto. Sunt autem seqventes: *Taurentium*, *Antipolis*, *Athenopolis*, *Olbia*, *Agatha*, omnes in Gallia Narbonensi, *Antibe, Agde.* *Nicaea* in limite Italiae, *Rhoda* et *Rhodanusia* ad Rhodanum, *Emporiae* in Hispania. Quarum major pars ex nummis illustrari posset, si tempus et locus hoc permitterent.

XII. Vidimus hactenus *Argivos*, in qvam multos populos et Coloniarum Colonias effusos. Videamus etiam *Arcades*, antiqvitate et fecunditate Argivis haud inferiores. Vetustissimi Arcadiae et totius Peloponnesi incolae sunt *Pelasgi*, gens barbara, *Herod. Lib. I. cap. 56. 57.* et per universam Graeciam diffusa. Major pars Graecis permixta, cum illis coaluit, et res Graecorum a parvis initiis profectas colonis suis in Atticam, Thessaliam, Cretam etc. missis, in *Strabo Lib. V. pag. 221.* immensum auxit, et linguam Graecam multis vocibus Pelasgis locupletavit. Reliqvi in antiqva patria substiterunt. Nomen ducere feruntur a primo Rege suo *Pelasgo*, qvem Graeci scriptores αὐτόχθονα seu indigenam vocant, qvia altius adscendere non poterant. Pelasgo successit filius *Lycaon*. Is Lycosuram in monte Lycaeo condidit, Jovem Lycaeum appellavit, et Lupercalia in honorem Panos primus instituit. Hujus liberi permulti

Pauf. Lib. VIII. cap. 3. memorantur apud Paufaniam, qvorum natu minimus *Oenotrus* cum parte popularium Ionico finu trajecto in Italiam conceffit, et *Aborigines* condidit, qvos Pelasgos feu Arcadici generis homines fuiffe, Dionyfius Halicarnaff. memoriae prodidit. *Dion.Hal.Lib. 2. ab init.* Lycaoni fucceffit *Nyctimus*, filiorum natu maximus: quo extincto *Arcas*, Lycaonis ex filia Callifto nepos, regnum fufcepit. Ab hoc Rege ipfa terra, quae antea *Pelasgia* dicebatur, *Arcadia*, et gens Pelasgi, qui fuerant, *Arcades* nominati funt. Arcas tres filios habuit, quorum medius *Aphidas* in partitione regni *Tegeam* urbem et adjacentia fortito accepit. Hujus filius *Aleus*, intra eam, qvam pater fibi reliqverat, regionem fe continens, in urbe *Tegea* regiam fuam conftituit, et vetuftum illud, qvod *Tegeae* vifitur (verbis utor Paufaniae) *Aleae Minervae* fanum aedificavit.

XIII. Memoria hujus fani cum facrificio Minervae adhuc fuperat in nummo aereo, pulcerrimo et rariffimo, qvem ex apparatu antiqvario Mufei Lipfienfis depictum hic defcribam.



In priore nummi pagina eft caput barbatum, regio diademate revinctum, cum epigraphe Α Λ Ε Ο Σ. Quae cum in nummo regio Gazae Regis Francorum penitus detrita fit, vel alias ob caufas defideretur, Harduino anfam errandi dedit, ut caput nummi pro capite Jovis acciperet. In altera pagina eft Rex Aleus ftans, galea, hafta, clypeoqve armatus, Minervae ex adverfo ftanti aliqvid in dextram tradens, adducta in medium puella, qvae Deae elatis manibus vas facrum feu amphoram offert cum infcriptione Τ Ε Γ Ε Α Τ Α Ν. Dorice, pro Τεγεατων. Inter

ter utramque figuram ſuperne eſt monogramma ÆR, inferne aliud monogramma M. Celebrari hoc nummo *Aleum* Regem, Aphidantis filium, Templi Minervae apud Tegeatas conditorem, in propatulo eſt, etiamſi neſciamus, qvid proprie ſit id, qvod Rex Minervae in manus tradit, aut qvam monogrammata ſignificationem habeant? Virguncula, qvae Minervae adſiſtit, eſt ipſa Sacerdos Deae. *Deae*, inquit Pauſanias, *rem divinam facit P U E L L A. Qvam longum tempus virginitatem conſervet, non ſatis ſcio: illud habeo compertum, illam, anteqvam pubeſcat, ſe S A C E R D O T I O abdicare.* Qvi locus etiamſi jam ab Haymio adductus ſit, hic tamen omitti non debuit. Hujus puellae nulla mentio fit apud Harduinum. An qvia et haec detritu abſumpta? Contra in nummo Britannico, ab Haymio caelato, conſpicitur qvidem puella manibus in altum porrectis, ſed vacuis, et ſine amphora. Operae pretium erat, hunc nummum, ex qvo reliqvi ſuppleri et redintegrari poſſunt, exterorum cauſa aeri inciſum exhibere. *Alei* Regis aetas incidit in annum mundi 2598. ante Chriſtum 1405. ſecundum calculum Edwardi Simſonis. Unde dubium non eſt, hunc nummum non ab ipſo Rege, cujus vultum prae ſe fert, ſed a poſteris in honorem ejus excuſum eſſe. An ſtante adhuc priore Templo, qvod anno primo poſt Olympiadem XCVI. igne conflagravit, qvo tempore ars monetandi pridem inventa fuit? An ſub Templo ſecundo? Hoc eſt qvod ignoramus *(m)*. Reliqvi Arcadum nummi, qvi apud Goltzium Tab. XI. occurrunt, praeter caput Jovis *Lycaei*, et *Mercurii Cellenii*, horumqve inſignia Aquilam et Caduceum, nihil memorabile continent.

Pauſ. Lib. VIII. cap. 47.

XIV. Poſt *Argivos* et *Pelasgos* principem gloriae locum tenent *Athenienſes*, gens ingenioſa, ſed vana, et opinione ſua domi nata. Opulentiores eorum, qvo ſe terrigenas declararent, *aureas cicadas* in crinibus portaſſe memorantur *(n)*. Recentiores

(*m*) Conſule, ſi juvat, Pauſaniam Lib. VIII. cap. 45.

(*n*) Thucydides Lib. I. Hiſt. cap. 6. *Nec multum eſt tempus, ex qvo apud nos illi,*

res eadem ſtultitia inflatos fuiſſe, ex nummis eorum adparet, in qvibus *cicada* (qvae, qvia ſponte e terra naſci creditur, avtochthonum ſymbolum eſt) juxta noctuam conſpicitur, qvorum duos Goltzius adduxit: tum et ex reſponſo Antiſthenis, qvod impudentibus illis, qvum ſe indigenas eſſe gloriarentur, objurgando regeſſit: *illos cochleis et locuſtis nihilo nobiliores eſſe.* Rem publicam inter eos primus ordinavit Cecrops, homo Aegyptius, facto a ſocietate domeſtica, qvae eſt inter virum et foeminam, initio. Hanc fide conjugali ſacram et inviolabilem eſſe voluit, cum antea vaga et promiſcua eſſet. Dictus ob eam rem Διφυὴς ſeu biformis, imo etiam ſculptus. Nam in vetuſtiſſimis Athenienſium nummis Caput Cecropis ex facie virili et muliebri, Jani inſtar bicipitis, compoſitum cernitur, qvia ſcil. ut Juſtinus ſcribit, primus inter Atticos marem foeminae legitimo matrimonio junxit *(o)*. Familiis ita ordinatis, ſtatum publicum formavit, et prima urbis fundamenta jecit. Quae poſtea, ut rurſus ſcribit Juſtinus, Minervae ſacrata, et nomine ejus nuncupata eſt *(p)*. Fuit autem Minerva virgo Aegyptia, patria lingva Νηΐθη, transpoſitione Attica Αθήνη dicta, tanta ingenii ſagacitate a natura praedita, ut, ob utilia qvaedam vitae inventa, colum, lanificium, textrinam, lineas tunicas, et ſimilia, inter homines artium rudes majorem humana intelligentiam habere, et e Jovis cerebro nata exiſtimaretur. Pingitur autem armata, qvia Jovi in bello contra Titanas auxilium tuliſſe fingitur. Comes Deae perpetuus eſt *noctua*, qvae, qvia in tenebris videt, pulcrum mentis perſpicacis ſymbolum eſt. In nummis Athenienſium nihil magis obvium, qvam hujus Deae cum noctua am-

Laërt. L. VI. in Antiſthene.

Haym in Theſ. Brit.

---

illi, qvi de Senioribus propter delicatum vitae genus erant beatiores, ferre deſierunt lineas tunicas (a Minerva inventas) *et AUREAS CICADAS, qvas capitis comam religantes cincinnis inſerebant. Unde etiam apud antiqviores Iones cultus iſte propter cognationem obtinuit.*

(o) Juſtin. Lib. II. cap. 6. de Athenienſibus: *Ante Deucalionis tempora Regem habuere Cecropen, qvem, ut omnis antiqvitas fabuloſa eſt, Biformem tradidere, qvia primus marem foeminae matrimonio junxit.*

(p) Juſtin. loc. cit. *Amphictiou primus Minervae urbem ſacravit, et nomen civitati ATHENAS dedit.*

amphorae diotae insistenti conjuncta effigies: qvibus signis se primos Minervae cultores, et primos fictilium inventores fuisse, gloriari videntur.

XV. Alterum Minervae symbolum est *Sphinx*. Quae, cum doctrinae Symbolicae ab Aegyptiis inventae symbolum sit, hoc genus scientiae, qvod ante inventas literas unicum et gratissimum Graecorum studium fuit, a Minerva ex Aegypto in Atticam illatum esse indicat. Hinc galea Minervae plerumqve Sphinge ornata est, qvamvis etiam pegasum, et alia ornamenta admittat. Sphingem galeae insculptam vidimus supra in nummo *Veliensium*. Sphingem in cono galeae eminentem in vetustissimi operis signo Minervae observavit Pausanias. Et in qvibusdam Atheniensium nummis capite Minervae signatis, Sphinx aversae partis aream occupat. Sed qvid sit *Sphinx*, qvae prima ejus forma, qvae secunda, qvid primo Aegyptiis, qvid postea Graecis significaverit, nescio an satis adseqvantur ii, qvibus Sphinx veri nominis animal e simiarum genere est, qvod, qvi artis Symbolicae simulacrum esse possit, ipsi ignorant. Ab initio Sphinx fuit *symbolum Nili*, et figura ex duobus signis coelestibus, *Leone* et *Virgine* composita, qvod sole haec signa transeunte totam Aegyptum inundaret *(q)*. Caput velum tegebat, qvia origo Nili, hodie satis cognita, olim ignota erat. Ovidius:

Supra §. 8. Pausan. Lib. I. cap. 24. Haym in Thes. Brit.

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, qvod adhuc latet.

Met. II. v. 254.

Lucanus:

Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre.

Pharf. Lib. X. vers. 295.

Haec prima et vetustissima Sphingis effigies, sine alis et sine mammis, depicta Kirchero in Oedipo, et Pignorio in Originibus

Oedip. Aegy. Tom. III. Syntagm. XV. Cap. 1. pag. 457.

(q) Plinius Lib. V. Sect. X. edit. Hard. *Incipit crescere Luna nova, qvaecunqve post solstitium est, sensimqve modiceqve cancrum Sole transeunte, abundantissime autem LEONEM. Et residet in VIRGINE, iisdem qvibus accrevit modis.* Confer Lib. XVIII. Segm. XLVII.

Pignor. Orig. Pat. Tab. 2. nibus Patavinis. Hoc ſimulacrum ante fores Templorum collocabant Aegyptii, ut ejus aſpectu intrantes monerent, ſuam de Diis et rerum natura doctrinam ſimilem eſſe ſymbolo Nili, hoc eſt, aenigmaticam et figuris involutam *(r)*. Sicque Sphinx, qvae primo Nili fluminis, poſtea omnis Doctrinae Symbolicae imago fuit. Et hanc ſignificationem habet nonſolum apud Aegyptios, ſed etiam apud Graecos, qvamvis in aliam paene formam ab illis mutata. Nam Sphingem Graeci alatam eſſe voluerunt, capite aperto, pectore nudo, caetera formoſae puellae ſimilem, cum ut ſublimitatem artis ſymbolicae, quae res naturales ad altiores ſenſus extollit, tum ut elegantiam ejus, qua alias artes antecellit, exprimerent. Hoc oris corporisqve habitu cernitur in nummo *Chiorum*, memoriae Homeri dicato, non qvod Homerus *allegoriarum pater* fuerit, aut allegoria cum Homero in inſula Chio nata ſit, qvae certe diu ante Homerum fuit, ſed qvod in genere ſcribendi allegorico ſummus artifex fuerit. Et hac etiam forma conſpicitur in nummis Romanorum, et inprimis in eleganti qvodam denario, qvo T. Cariſius (ſicut optime conjectat Valentius) memoriam delectus inter libros fatidicos et Sibyllinos ab Auguſto facti, capite Sibyllae Phrygiae Sphingi praefixo, poſteris commendare voluit; Qvem e divite et perampla SENATUS Lipſ. Familiarum Romanarum in nummis collectione hic depingam.

Beger. Theſ. Brand. Gr. Numiſm. p. 419.



Hodie

(*r*) Clemens Alex. Lib. V. cap. V. Edit. Potter. *Aegyptii ante Templa ponunt Sphingas, qvia doctrina, qvae de Deo eſt, aenigmatica eſt et obſcura.*

Hodie ars Symbolica, etiamſi de priſca obſcuritate non nihil remittat, et imaginem cum ſcriptura ingenioſo connubio conjungat, meretur tamen adhuc repraeſentari ut *Sphinx volucris pennis, pedibus leo, fronte puella*, quia eſt ars pulcherrima, ſublimis, et virtuti Heroicae unice dicata.

XVI. Qvamvis autem Athenienſes primi et praecipui Minervae cultores fuerint, reliqvam tamen Deorum turbam neqvaqvam neglexerunt. Nam Athenarum in Diis colendis diligentiam ita extollit Pauſanias, ut eam omnium aliarum Graeciae civitatum religioni longe anteferat. Id ipſum, qvam verum ſit, contra omnium eruditorum ſpem et opinionem ex ipſis Athenienſium nummis, in opulentiſſimo Comitis Winchilſæenſis Muſeo adſervatis, demonſtratum dedit Haymius, Theſauri Britannici celebris collector et interpres: in qvibus nonſolum Minerva cum noctua, ſed etiam Jupiter cum fulmine, Vulcanus cum forcipe et incude, Ceres cum papavere et ſcrofa, Diana cum arcu et pharetra, Hercules cum clava in humeris, Aeſculapius cum baculo et ſerpente, conſpiciuntur. Quam fervens fuerit horum aliorumque numinum apud Athenienſes cultus, teſtantur etiam nummi, cranio bubulo cornibus vittatis inſculpti, qvo nihil aliud, qvam ſacrificiorum ſolennitas et freqventia deſignari videtur. Omnium una inſcriptio eſt ΑΘ. ΑΘΕ. ΑΘΗ. ΑΘΗΝ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ. *Pauſ. Lib. I. cap. 17. et 24.*

XVII. Poſt urbem conditam, murisqve munitam, multi ex reliqva Graecia ad Athenienſes, qvod illorum ſedes ſtabiles tutaeqve eſſent, ſe recipiebant. Qvorum numerus, cum in tantam multitudinem excreviſſet, ut Attica omnes nec capere nec alere poſſet, Colonias in *Joniam* miſerunt, teſte Thucydide. Colonias autem emiſſas nonſolum armis et commeatu, ſed etiam pecunia tanqvam viatico inſtruebant. Et haec pecunia plerumqve erat *Ape* ſignata, qvia Apes, cum qvotannis novum examen ceu novum populum emittunt, pulcherrimum tam ipſarum *Coloniarum*, qvae emittuntur, et novas ſedes ſibi conſtruunt, qvam ipſius *Metropolis*, qvae novam pubem emittit, ſymbolum ſunt. *Thucyd. Lib. I. cap. 2.*

Tales

Tales Athenienſium nummos cum Ape inſculpta, et epigraphe Α Θ. vel Α Θ Ε. excuſos, plures videre et admirari licet in Muſeo ſupra laudato apud Haymium; Qvos hac occaſione (non mellis Attici cauſa) ſignatos exiſtimo. Inter celebriores Aſiae urbes ab illis conditas numerantur *Epheſus*, *Smyrna*, *Miletus*, qvarum poſtrema rurſus abundantem multitudinem ſuam in multas orbis partes diffudit, et a Plinio *caput Joniae et ſupra LXX. urbium per cuncta maria genitrix* vocatur. Omitto colonias Africanas, Siculasqve, et hoc tantum addo, multas earum in nummis ſuis documenta originis ſervaſſe, *Smyrnaeos* et *Lesbios* Minervam, quae in nummis poſteriorum ΚΟΡ. ΛΕΣΒΙΩΝ, h. e. κόρη ſeu virgo Lesbiorum vocatur, *Megarenſes* Siciliae noctuam et nomen Megarenſium in Attica, *Chios* Sphyngem et amphoram diotam, *Epheſios* apem, etc.

Plin. Lib. V. cap. 29.

XVIII. *Cretam* univerſam ab initio *Barbaros* tenuiſſe, auctor eſt Herodotus. Qvi Cretam incolunt, hos Barbaros *Eteocretes* vocant, eosqve nonſolum vetuſtiſſimos Inſulae incolas, ſed etiam indigenas ſeu αὐτόχθονας eſſe dicunt, apud Diodorum. Qvi, ſi ulla in re, juxta vetus proverbium, mendaces, in hac certe mendaciſſimi fuerunt. Nam primos illos barbaros, a qvibus orti videri volunt, non αὐτόχθονας, ſed *Scythas* ſeu ſagittarios fuiſſe *(s)*, et e partibus Septemtrionalibus in Inſulam veniſſe, vel hinc patet, qvia nulli Graecorum ex patrio inſtituto arcu et ſagitta uſi feruntur, praeter Cretenſes. *Satis conſtat*, inqvit Pauſanias, *antiqviſſimo tempore SOLIS ex omnibus Graecis CRETENSIBUS gentilitium telum ſagittas fuiſſe.* Hinc in hiſtoriis Graecorum nomen et fama *Cretenſium Sagittariorum* valde celebris. Qvam vetus ſit illa fama, aſtrum Sagittarii

Herod. Lib. I. cap. 173.

Diod. Sic. Lib. V. pag. 230.

Pauſ. Lib. I. cap. 23.

(s) *Scythas* vi nominis ſagittarios eſſe, a verbo Scythico *Scytan* jaculari ſic dictos, qvod primi artem jaculandi per arcum oſtendiſſent, in GLOSSARIO GERMANICO voce *ſchieſſen*, nec non in Praef. §. XI. ſuffragante Plinio, Polluce, et Diodoro Siculo, comprobavi.

gittarii indicat, qvod ſupra Cretam collocant Aſtronomi *(t)*. Et hinc etiam interpretationem accipiunt *pharetra* et *arcus*, arma Cretenſium gentilitia, in nummis eorum argenteis apud Goltzium depicta, qvos, qvia Ciſta Myſtica Bacchi cum ſerpente proſiliente intra coronam hederaceam ſignati ſunt, *Ciſtophoros* appellare ſolent *(u)*. Cauſa ſigni eſt, qvia haec Inſula, cum ob Bacchum ibi natum (ſic enim gloriantur Cretenſes) tum ob vinum illud nobile, qvod Malvaſiam vocant, peculiari ratione Baccho ſacra, et Myſteriorum ejus obſervans fuit. Qvod, cum nullam habeat difficultatem *(x)*, nunc mittimus; et hoc tantum obſervare jubemus, qvod in altera nummi ſuperficie, *pharetra* cum *arcu* prominente inter duos angves caudis implicitos repraeſentetur, addita epigraphe ΚΡΗ. vel ΚΡΗΤΑΙΩΝ. Qvamvis enim haud proclive ſit, de his angvibus aliqvid decernere, et doctrina Panelii multis incommodis prematur *(y)*: credibile tamen eſt, hoc arcu et hac pharetra nihil aliud

(t) Manilius Lib. IV. v. 781. — *Celeres hinc Creta ſagittas*
Aſſerit, intentosqve imitatur ſyderis arcus.

(u) De *Ciſtophoris*, tam Cretenſibus, qvam aliis, eruditam et copioſam Diſſertationem edidit R. P. *Panelius*, in qva tamen *Ciſtophori Alexandri M.* neſcio qvo caſu omiſſi ſunt. Qvae ibidem de ortu et progreſſu Orgiorum traduntur, pulcra ſunt, et lectu digna, qvae de ipſo Baccho, non aeqve probanda. Erat autem in hac Ciſta, praeter veretrum Bacchi, ſerpens, qvod Jupiter, ut fabulantur, in ſerpentem mutatus, Bacchum e Proſerpina genuiſſet. Hoc aliisqve ſerpentibus, qvos ſecum trahebant mulieres inſanae, viros obvios terrebant. Exemplum Olympiæ vide apud Plutarchum in vita Alexandri, p. 665.

(x) Nullos in Creta gigni ſerpentes, qvoties dicunt auctores, de noxiis intelligi volunt, qvod et ipſi declarant verbis, in Diſqviſitione Antiqvaria Begeri *de nummis ſerpentiferis* prima ſtatim pagina allegatis, et orgia qvoqve docent, qvae ſine ſerpentibus innoxiis celebrari non poterant.

(y) Serpentis imagine ipſum Bacchum, qvatenus eſt Genius Maximus, ſeu unus ille ſummus ac verus Deus, indicari, docet Panelius in Ciſtophoris §. XV. Sed non perſuadet. Nam eandem rem, Orgia inqvam Bacchi, in eodem nummo bis, et ſerpentibus toties repetitis, exprimi, non placet. Et ſi ſerpens unius ac ſummi Dei ſymbolum eſt, cur duo ſerpentes huic myſterio ſignificando adhibentur? Ut ea, qvae in hac ſententia Chriſtianas aures offendunt,

aliud qvam arma Cretensium patria, et Scythicam gentis originem designari. Qvid hac interpretatione facilius? Qvid studio aut ortui Cretensium conformius? Et nonne ipsa Lingva Cretica nos eo ducit, dum arcum Σκυθικὸν vocat, teste Diodoro (z)?

XIX. *Pharetra* videtur esse theca e vimine texta, et colore fucata, prorsus ut clypei veterum Germanorum apud Tacitum: et est haud dubie illa ipsa apud Poëtas tam celebris, qvam Seneca in Hercule furente *corytum Scythicum*, Virgilius *corytum levem*, Ovidius *pharetram Cydoniam* vocat. *Acrostolium* in pharetra pictum, Panclio, qvi Baccho suo mystico totus ebrius est, rursus significat Bacchum, non hominem, sed Deum et ducem navigantium, totius naturae humidae praesidem, victoriarum terra mariqve largitorem, et similia sublimia, de qvibus Cretenses vix somniasse, nedum serio cogitasse videntur. Nobis, qvi de Bacchi divinitate neqvaqvam persvasi sumus, de acrostolio aliter sentire licet. Cretenses non solum jaculandi dexteritate, sed etiam nauticae rei peritia Graecos omnes superasse, et principatum maris diu tenuisse, nemo in Historiis Graecorum paulo versatior negabit. Hoc praeter vulgatum proverbium ὁ κρὴς τὴν θάλασσαν, qvod dicitur de iis, qvi ea dissimulant, in qvibus excellunt, testatur Seneca in Hippolyto:

Tac. Annal. II. 14.
Sen. verf. 1127.
Virg. Aen. XII. 169.
Ovid. Met. VIII. 22.

O magna vasti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne littus innumerae rates
Tenuere pontum etc.

Et

fendunt, et Theologiae Gentilis foeditatem crusta obducunt, nunc omittam. Hoc potius dixerim, illos serpentes spiris implicitos, jactati indigenatus symbola esse, saltim in nummis Cretensium. Nam mures et ranas et serpentes de terra et imbre nasci, etiamsi hoc falsum sit, creditum tamen vulgo est, et literis qvoqve proditum a Plinio Lib. VIII. cap. ult. et Macrobio Lib. VII. Saturn. cap. 16.

(z) Diod. Sic. Lib. V. pag. 235. *Apud Cretenses sagittandi studium maxime viget, qvi arcui SCYTHICI nomen imposuerunt, τὸ τόξον ΣΚΥΘΙΚΟΝ ὀνομάσαντες.*

Et hoc etiam indicat *acroſtolium* ſeu *acroterium* in pharetra nummi pictum. Utrumqve a faſtigio ſic dicitur, eſtqve genus ornamenti nautici in prora, ſimilitudine alae effictum, qvod victae navi detractum et in victrice erectum, victoriae ſignum eſt. Sed extra hunc caſum, qvando acroſtolium non eſt ſpolium ab hoſte captum, ſed ſimplex navis ornamentum, tunc acroſtolium eſt ſymbolum rei navalis florentiſſimae in nummis Inſularum celebriorum et potentiorum, inter alias *Rhodiorum*; imperii maritimi in navibus praetoriis Romanorum; et praefecturae maris in nummis Pompeji M. *(a)*. Qvorum duos tantum, ne res figura careat, e Muſeo Lipſienſi hic delineabo.



Haec, opinor, eſt verior et probabilior acroſtolii interpretatio, ex qva partem Cretenſium qvivis agnoſcere poteſt. Ipſa Pharetra bifariam pingitur in nummis Cretenſium, modo ut theca curva et cornu abundantiae ſimilis, modo ut theca recta, qvadrata et oblonga. Hanc Panelius accipit pro vanno myſtica, et phare-

(a) Nummos Rhodiorum *cancro*, *acroſtolio* et *roſa*, ſignatos exhibent Rubenius Tabula V. Caeſarum Ducis Arſchotani num. XXII. et Morellius in Gente Caſſia et Servilia. In denariis Pompeji acroſtolium paſſim cernitur in navibus praetoriis, in tropaeis navalibus, et in ipſa manu Pompeji, cum epigraphe, PRÆF. CLAS. ET. ORÆ. MARIT. EX. S. C. Differt ab ornamento puppis, qvod Graecis ἄφλαστον, et inde Latinis *apluſtre* dicitur. Utriuſqve effigiem dedit Joh. Schefferus Lib. II. de Militia Navali Veterum Cap. VI. pag. 157. 158.

pharetram esse negat. Sed qvi vannus mystica differat a cista mystica, aut cur eadem res in utraqve nummi pagina reiteretur, nullam rationem affert. Et cum vannus, uti notum, vas sit patulum, latum, et rotundum, qvi fieri possit, ut pharetra pro vanno accipiatur, me qvidem fugit. Utraqve pharetra serpentibus cincta, Cretensibus tam propria est, ut in nullis aliarum gentium aut urbium nummis, nisi earum, qvae vel pars vel Coloniae Cretensium sunt, reperiatur.

XX. *Barbaris* accesserunt Coloni *Graeci*, ex omnibus Graeciae partibus consilio vel casu in Insulam delati, qvibus *Minos*, Jovis et Europae filius, *Rhadamanthis* et *Sarpedonis* frater, leges dedisse fertur. Idem multas e Creta Colonias huc illuc misit, et Cycladum plerasqve (narrante Diodoro) habitabiles fecit. Qvas inter *Tenedos*, ob cultum Apollinis *Sminthei*, et mures in nummis signatos, memorabilis est. Nam mures Cretica lingva vocantur σμίνθαι (b); manifesto satis indicio, Tenedios a Cretensibus ortos, et lingva eorum usos esse. *Sarpedon* cum fratre de imperio contendit; sed ab illo victus et expulsus *Lyciam* et *Cariam* cum factionis suae hominibus occupavit. Pro *Lycia* est Herodotus et Diodorus Siculus: Pro *Caria* Strabo, et insignia Cretensia, pharetra et arcus inter duos angves, nummis Civitatum et regionum Caricarum impressa, quae, nisi Creticae originis documenta sint, Caribus convenire non possunt. Literae initiales circa angves conspicuae, ΠΕ. ΤΡΑΛ. ΛΑ. ΑΠΑ. satis produnt, id genus nummorum a *Peræensibus*, *Trallianis*, *Laodicenis*, et *Apamensibus*, hoc est, a Caribus excusum esse. Nam *Peræa* est regiuncula Cariae, *Tralles* et *Laodicea* urbes Cariae apud Plinium et Ptolemaeum. Et *Apamea*, utpote Laodiceæ proxima, et in confiniis

Diod. Sic. Lib. V. circa fin.

Herod. Lib. I. cap. 173. Diod. Sic. Lib. V. pag. 235. Strabo Lib. XII. pag. 573.

(b) Mures Cretensibus *Sminthas* dictos ex Aeliano probat Begerus in Thes. Brand. Numis. Graec. pag. 423. Qvem seqvitur Harduinus in nummis Pop. et Urb. pag. 490. *Nomen Dei factum a muribus ex eo loco fugatis: Sunt enim σμίνθαι Cretensium lingva mures.*

niis Phrygiae et Cariae fita, potuit antiqvitus ad urbes Carieas pertinuiffe. Delineationem horum nummorum, Cretenfibus qvam fimillimam, dederunt viri clariffimi, Begerus in *nummis ferpentiferis*, Panelius in *Ciftophoris*. Qvi tamen falli videntur in eo, qvod fignum ΠΕ. ad *Pergamenos* referunt. Qvid enim faciant angves et arma Cretenfia in nummis ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, qvi Cretenfium nec pars nec Colonia funt?

XXI. *Minos*, dum bellum cum Siculis gerit, qvod Daedalum fibi dedi recufaffent (machinae illius, qva nefandos Reginae amores juvit, auctorem) infidiis Cocali Regis Siciliae, in ipfa Sicilia opprimitur. Hoc interfecto, Cretenfes, qvi cum illo erant, five bello feffi, five fertilitate foli invitati, urbem *Minoam*, qvae poftea *Heraclea Minoa* dicta, defiderato Regi cognominem, excitaffe dicuntur. Qvi urbis hujus aliarumqve Siciliae urbium origines a Cretenfibus deducunt, citant inter alios Silium Italicum: *Sil. Ital. Lib. XIV. v. 39.*

Poftqvam perpetuas IUDEX conceffit ad umbras
Cocalidum infidiis, feffo Minoia turba
Bellandi ftudio Siculis fubfedit in agris.

Alia Cretenfium pars, a claffe Minois evagata, *Uriam* feu *Hyriam* urbem in Japygia, qvae et Meffapia et Calabria appellatur, condidiffe memoratur, auctoribus Herodoto et Strabone. *Herod. Lib. VII. Strabo Lib. VI. pag. 282.* Hujus Coloniae memoria etiamnum fuperat in nummo argenteo *Hyrinorum*, capite Palladis galeato ex una, et bove facie humana ex altera parte fignato, cum epigraphe ΥΡΙΝΑ. Id eft, ni fallor, ΥΡΙΝΑΙΩΝ. Hunc bovem *Minotaurum* vocat Begerus in explicatione hujus nummi, eoqve conditores Cretenfes indicari exiftimat, juxta communem Antiqvariorum opinionem, qvi, qvoties bovem humano capite, vel totum vel dimidium, in nummis confpiciunt, fe cuftodem Creticae originis inveniffe putant. *Thef. Brand. Numif. Graec. pag. 320.* Qvos inter Spanhemius paffim et fidenter fcribit, qvod *Minotaurus*, ubicunqve in nummis urbium Graecarum aut Sicularum fignatus reperiatur, eadem loca *Spanh. Tom. I. de Uf. et Pr. Num. p. 254. 569. Edit. Lond.*

loca Cretenſium Colonis freqventata, etiamſi id aliunde non conſtaret, OMNINO COMPROBET. Qva in re vir ſummus potuit decipi. Enim vero qvam difficile ſit, diſſenſum cohibere, ex rationibus mox adducendis, qvas Lectorum meorum judicio lubens ſubmitto, patebit.

XXII. Primo oculorum teſtimonio manifeſtum eſt, qvod *Minotaurus* ille, qvem vocant, non ſit monſtrum Cretenſe. Minotaurus, qvem vocant, eſt bos facie humana effictus: ex adverſo monſtrum Cretenſe eſt homo capite taurino terribilis. Teſtes ſunt Diodorus, Hyginus, et plures alii *(c)*. Teſtis etiam Gemma antiqva, opus Philemonis, inter rariora Caeſaris CAROLI VI. hodie regnantis cimelia, in qvo monſtrum Cretenſe a Theſeo occiſum corpore humano et capite bubulo caelatum conſpicitur. Diſcrimen naturae, qvod inter utrumqve Minotaurum (ut ſic loqvar) intercedit, ipſi vident probantqve teſtimoniis veterum illuſtres viri, a qvibus diſſentire cogimur, *Begerus* in Theſauro Palatino et Brandenburgico, *Spanhemius* in Diſſertatione Qvinta magni Operis de uſu et praeſtantia numiſinatum: ſed eam concluſionem, qvam nos inde elicimus, *qvod Minotaurus, qvem vocant, non ſit monſtrum Cretenſe*, etiamſi naturalis et neceſſaria ſit, neſcio qvo pacto non vident. Qvodſi *Minotaurus*, qvem vocant, non eſt *monſtrum Cretenſe*, nec veri nominis Minotaurus, ſed bos vultu humano effictus, ſcire velim, qvi ſignum ejus nummis impreſſum Creticae originis index eſſe poſſit?

Apud Stoſchium in Gemmis antiqvis.

XXIII. Altera ratio eandem habet evidentiam, et conſiſtit in eo, qvod ille falſi nominis Minotaurus non ſolum in nummis Civitatum, quae Creticae originis ſunt, ſed etiam earum, quae aliunde oriuntur, reperiatur. Tales ſunt urbes Magnae Grae-

(c) Diod. Sic. Lib. IV. pag. 193. *Geminam huic naturam tribuunt, ut membra corporis ſuperiora ad humerum uſque ſint tauri, caeteraqve hominis.* Hyginus Fab. XL. *Daedalus vaccam ligneam fecit, et verae vaccae corium induxit, in qva Paſiphae cum tauro concubuit. Ex qvo compreſſu Minotaurum peperit, capite bubulo, parte inferiore humana.*

Graeciae qvam plures, qvae, etiamsi nullo pacto a Cretensibus, sed ab aliis populis conditae sint, *Capuani* a Trojanis, *Puteolani* a Cumanis, *Caleni* a Thracibus, *Nolani* a Chalcidensibus, *Neapolitani* a Cymaeis, Chalcidensibus et Atheniensibus, *Svessani* ab incertis: hoc tamen non obstante nummos suos fictitio illo et falsi nominis Minotauro signarunt. Qvibus addi possunt *Taurominitae* et *Selinuntii* in Sicilia, qvi Naxiorum et Megarensium, et *Ambraciotae* in Epiro, qvi Corinthiorum Colonia sunt *(d)*. Qvodsi tot oppida, dicta et indicta, alios conditores qvam Cretenses palam agnoscunt, et nihilominus Minotauro, qvem vocant, in nummis signandis utuntur, nonne manifestum est, hunc Taurum alterius rei, qvam ortus Cretensis, symbolum esse? Et cujus qvaeso, nisi COLONIAE in genere? Est enim figura hieroglyphica, ex corpore bovis aratoris et ore coloni, modo barbato modo imberbi, pro varia coloniarum aetate, composita. Qvi negant, adeant *Characterem Libri Sexti* Annalium Romanorum *Stephani Vinandi Pighii*, viri ob singularem in rebus antiqvis perspicaciam nunqvam sine laude memorandi, qvamvis inter tot fures, qvibus scribendi materiam praeparavit, paene innominati, et hoc emblema effigie et rationibus illustratum invenient.

Strabo. Lib. V. pag. 246. Νεάπολις Κυμαίων. Vide Casaubonum in hunc loc.

XXIV. Ex Creta revertamur in Isthmum Peloponnesi, et apud *Corinthios* excursioni nostrae per Graeciam finem statuamus. Primum *Corinthiorum* principium est ab Argivis, qvorum Regibus diu ante et post bellum Trojanum paruisse memorantur: alterum a posteris Sisyphi. Filius Sisyphi fuit Glaucus, Glauci filius Bellerophon. Hic a *Minerva frenatrice* eqvo alato, qvem *Pegasum* vocant, donatus, et hoc eqvo vectus monstrum triforme Chimaeram confecisse fingitur. Cujus fictionis causam hanc esse puto, qvod Corinthios, adhuc eqvitandi minus

Pausan. Lib. II. cap. 4.

(*d*) Harum urbium Origines summo studio investigatas vide apud Goltzium in *Historia Siciliae et M. Graeciae*, nec non apud Nonnium in *Commentario Veteris Graeciae* ad nummos Goltzii.

nus peritos, ex eqvo pugnare docuerit. Nam qvo tempore Bellerophon eqveſtri gloria effloruit, eadem Corinthiorum imperitia eſſe potuit, qvae omnium Peloponneſiorum, qvos ſero admodum eqvos domare, iisqve in bello uti coepiſſe, Pauſanias obſervat *(e)*. Qvicqvid ſit (nam de fabulae hujus ſenſu, etiamſi mihi ſatis clarus videatur, cum nemine contendam,) hoc extra dubium, *Pegaſum*, et *Chimaeram*, et *Bellerophontem ex eqvo pugnantem*, eſſe propria Corinthiorum inſignia, in nummis eorum adhuc conſpicua, et cum *Minervae frenatricis* capite plerumqve conjuncta. Horum antiqviſſimos ſi qvis dixerit eos, qvos vulgus Corinthiorum a Pegaſo inſculpto *pullos* appellavit, forte non errabit *(f)*. Inter pullos vero occurſu rariores ſunt illi, in qvibus Pegaſo inſcriptionis loco ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ apponitur

Syll.Brit.pag. 33. ſeq. Phoenicium Koph Ϙ. qvalem in *Sylloge Britannica* animadverti, vel monogramma Ϙ. qvalem inter alios pullos poſſidet in ſuo eruditae Antiqvitatis Armario Ampliſſimus hujus Urbis SENATUS, ſtudiorum elegantiorum promotor munificus. Hic nummus, cum ſit venuſtiſſimus, et non Minervae, ſed Veneris capite ſignatus, cum monogrammate AΡ. dignus eſt, qvem hic eruditorum curioſitati conſpiciendum offeram, praeſertim cum nusquam alibi, qvod ſciam, reperiatur.



(e) Pauſan. Lib. IV. cap. 8. *Eqveſtres copiae et parvae fuere, et nihil omnino memoria dignum geſſerunt. Nondum enim Peloponneſii eqvitandi peritiam fuerant adepti.*

(f) Sicut apud Athenienſes illos nummos, qvibus Palladis facies inſculpta erat, vulgo Κόραι ſeu *Virgines* appellabant: ita apud Corinthios illa moneta *pullus* dicta eſt, qvæ pullum Palladis ſeu Pegaſum inſculptum habebat. Utrumqve docet Jul. Pollux in Onomaſt. Lib. IX. cap. VI. Segm. 74. 75. 76.

Corinthum non Minervae tantum, ſed etiam Veneri ſacram fuiſſe, mille proſtibula voluptati publicae dicata, quae in Fano Veneris, qvod Corinthi fuit, teſte Strabone, ſerviebant, mihi perſvadent. *Lib. VIII. pag. 378.* Hinc nullus dubito, qvin Monogramma illud, qvod ex literis A. Π. et O. manifeſto compoſitum eſt, legendum ſit, ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΠΟΛΙΣ, *Veneris Civitas.* Qvam conjecturam pulchre confirmat Ariſtides in Oratione Iſthmica, ubi *pag. 42.* Corinthum omnium blanditiarum et delectationum ſedem, et totidem verbis Ἀφροδίτης Πόλιν vocat.

XXV. *Coloni* Corinthiorum praecipui ſunt *Syracuſani*, *Corcyraei*, *Ambraciotae*, qvi, qva ſint ab origine nati, etiamſi ſcriptores omnes tacerent, ipſi in nummis ſuis loqvuntur. Et *Syracuſas* qvidem condidit *Archias*, navibus a Corintho advectus, ſub idem tempus, qvo Naxus et Megara conditae ſunt. *Strabo Lib. VI. pag. 269.* Feruntqve ſimul Delphos adveniſſe Myſcellum et Archiam, conſulendi oraculi gratia: interrogatosqve a Deo, divitiasne mallent, an ſanitatem: Archiam divitias ſibi optaſſe, ſanitatem Myſcellum: Deumqve illi ut *Syracuſas*, huic ut *Crotonem* conderet, mandaſſe. *Lib. VIII. pag. 378.* Porro Archiam, cum in Siciliam navigaret, cum parte exercitus reliqviſſe *Cherſicratem*, genus ab Herculis poſteritate ducentem, qvi occuparet pro domicilio ſuis *Corcyram*, quae antea *Scheria* fuit nominata: atqve hunc qvidem expulſis, qvi tunc ibi habitabant, Liburnis, inſulam obtinuiſſe. Tantum ex Strabone. Inde eſt, qvod poſteri harum Coloniarum, ad ſignificandum, ſe homines ab antiqvo Corinthios et ſororio nomine cognatos eſſe, antiquae matris inſigne, pullum Minervae nummis ſuis inſculperent, *Syracuſani* freqventius, *Corcyraei* parcius. Apud Goltzium invenio qvidem Pegaſum in nummis Syracuſanorum, modo totum, modo dimidium, modo in caudam monſtri marini exeuntem: ſed in nummis Corcyraeorum nullum. Unum produxit Harduinus ex nummis Severi. Alterum non minus rarum et eximie conſervatum producere poſſum ex Muſeo Lipſienſi: *Hard. in Num. Pop. et Urb. pag. 257.* qvi, cum alibi non occurrat, et nonſolum apud *Valentium* inter numiſmata Imperatorum a Populis Graece loqventibus per-

 cuſſa,

cussa, sed etiam apud *Frölichium* in supplementis Valentii desideretur, dignus omnino est, qvem hic oculis curiosorum objiciamus.



Ex una parte cernitur caput laureatum Gordiani Africani I. cum inscriptione ΑΥΤ. ΚΑΙC. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΦΡ. CΕΒ. Ex altera Pegasus, cum epigraphe: ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ.

XXVI. *Ambraciotas* in Epiro, bove facie humana nummis insculpto profiteri, se alterius civitatis colonos esse, jam supra animadvertimus. Ipsam vero civitatem genitricem non ex bove, sed ex Pegaso eorum, apud Goltzium superstite, agnoscimus. Qvibus addi possunt ex conjectura *Parii* et *Seriphii* in Cycladibus Insulis, illi ob Pegasum, hi ob *chimæram* nummis insculptam, alterum Corinthi symbolum. Cujus generis nummos nonsolum in Tabulis Goltzianis, sed etiam in Museo Lipsiensi conspicere licet. *Leucadios*, *Molycrios*, *Anactorios*, omitto, a qvibus vel nullos habemus nummos, vel aliis figuris insignitos. Omnium nobilissimi et celeberrimi sunt illi Corinthiorum coloni, qvos primo loco nominavimus, *Syracusani* et *Corcyræi*. Constat enim, *illos* tantum incrementi cepisse cum tempore, ut colonia matrem amplitudine et divitiis procul anteiret: *hos* vero paulatim ita præpolluisse viribus, ut nonsolum bello contendere cum Metropoli Corintho, sed etiam *novas Colonias* emittere possent, sicut mox ostendam.

Sup. §. 23.

Goltz. in Gr. Tab. V.

XXVII. *Dyrrachium* et *Apolloniam*, urbes Illyridis Græcæ littorales ad mare Adriaticum, vicinas et Italiæ oppositas, a *Corcyræis*

cyræis conditas esse, Strabo refert *(g)*. Idemqve probat etiam conformitas typorum, quæ est inter nummos Conditorum et Coloniarum. *Corcyræi* in nummis suis delectantur nonsolum pullo Corinthio, tanqvam originis documento, sed etiam aliis et amœnioribus figuris. Tales sunt in nummis eorum a Goltzio delineatis, vacca vitulum lactans ex una, et hortus qvadratus ex altera parte, cum epigraphe ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. Qvae partim *Coloniam* in genere, sub rei pecuariae, qvae omnis Coloniae fundamentum est, imagine, partim antiqvas Insulæ delicias, *hortos* inqvam *Alcinoi*, qvi sunt proprius illius insulæ, in qva Alcinous regnavit, character, depingunt. Qvod primus animadvertit Begerus, et hortorum istorum *areolas excultas* in nummis conspicuas, ex ipso Homero commonstravit. Ut mirum sit, eminentissimum Cardinalem *Qvirinum*, qvi *Primordia Corcyræ* tanta eruditione concinnavit, et hortos Alcinoi Corcyræis suis contra dubitantes tam pulcre asseruit, hoc Insulæ decus in nummis non vidisse, nec agnovisse. Hujus generis nummi argentei, iisqve persimiles *Dyrrhachiorum* et *Apolloniatarum*, exstant qvoqve in ampla SENATUS Lips. collectione, omnes vitulo lactente et horto qvadrato signati, non nulla tamen in figuris et inscriptionibus differentia.

Goltz. Ins. Gr. Tab. I.

Beger Thes. Brand. Gr. Numis. p. 455.

Hom. Odyss. Lib. VII. 127. κοσμηταὶ πρασιαί.

Prim. Corc. Cap. VI. et VII.



 Unus

(g) Strabo Lib. VII. in Illyride p. 316. Επίδαμνος Κερκυραίων κτίσμα, ἡ νῦν Δυῤῥάχιον,

Unus ex *Corcyraeorum* nummis habet ſupra bovem proram navis, ſymbolum rei nauticae vel gloriae navalis, et nomen inchoatum ΑΓ. ſeu ΑΓΙΑΣ. Qvalis apud Goltzium non occurrit. In nummis *Apolloniatarum* idem nomen omnibus literis expreſſum legitur, et praeter illud ΕΠΙΚΑΔΟΥ et ΛΥΣΗΝΟΣ nomina, qvae rurſus Goltzio deſunt. Numerus *Dyrrhachiorum* duplo major eſt Goltziano. In qvibusdam videas *colonum* aut *colonam* vaccae aſſiſtentem, ſpectaculum rarum, et Goltzio ignotum: in plurimis alia nomina figuris appoſita, manifeſto indicio, nummos illos aliis ſub Magiſtratibus excuſos eſſe. Talia ſunt, ΛΥΚΙΣΚΟΣ. ΞΕΝΟΦΑΝΤΟΥ. ΣΩΤΕΛΗΣ. ΕΥΠΟΡΟΣ. ΔΥΔΑΜΗΝΟΣ. ΚΤΗΤΟΣ. ΑΠΟΔΡΙΣΚΟΣ. ΑΥΤΟΒΟΥΛΟΣ. ΕΠΙΚΑΔΟΥ. ΑΠΟΛΛΑΝ. ΣΙΛΑΝΟΣ. ΧΑΙΡΙΛΛΟΣ. ΑΡΙΣΤΩΝ. ΦΙΛΟΔΑΜΟΥ. qvae apud Goltzium deſiderantur.

XXVIII. Nonnius et Harduinus hiſce imaginibus nihil aliud qvam ſoli fertilitatem et ſtudium agriculturae deſignari putant. Qvo ipſo ſupponunt, eandem rem in utraqve nummi area, figuris ſaltim diverſis, expreſſam eſſe. Qvod, qvam alienum ſit a conſvetudine veterum, neſcio qvo pacto viros in re nummaria ſumme peritos effugere potuerit. Illud etiam aegre concipio, qvi ex areolis horti vulgaris aliqvid pro patria antiqva *Dyrrhachienſium* et *Apolloniatarum* concludi poſſit. Certe hoc non facit Spanhemius, qvamvis ab inclyto Auctore, qvi Inſulam Corcyram opere ſuo nobilitavit, citatus. Nam et Nonnium carpit, qvod nihil in illis typis viderit, qvia ſcil. hortos Alcinoi non viderat: et alibi mentem ſuam ita explicat, ut a Begero qvam minime

Prim. Corc. pag. 161.
Diſſ. IX. p. 571.

Δυῤῥάχιον, *Epidamnus Corcyraeorum Colonia, nunc Dyrrhachium.* Scilicet Dyrrhachium ante Epidamnus erat, ut hodie eſt *Durazzo.* Idem paucis interjectis: *Apollonia urbs legibus optimis temperata, condita a Corinthiis et Corcyraeis.* Corinthios in condendis Apolloniatis Corcyraeorum ſocios fuiſſe, Straboni aliisqve auctoribus ab illuſtri auctore *Primordiorum Corcyrae* affatim nominatis, credendum eſt, etiamſi ejus ſocietatis nullum in nummis appareat veſtigium.

nime diſſentire videatur: *Utrumqve autem ſymbolum, tum vaccae cum lactente vitulo, tum qvadratae areolae cum fructibus, ab antiqva patria ſeu Corcyraeis, qvorum erant Coloniae Dyrrachium et Apollonia, juxta notum Coloniarum morem, de qvo nos alibi, eſt deſumtum: ſicuti eadem omnino videas in nummis Corcyraeorum apud Goltzium ſymbola, et quibus decantatos illos Alcinoi in terra Phaeacum ſeu Corcyraeorum hortos deſignari, haud male conjeciſſe videtur ſagax et eruditus id genus cimeliorum interpres Begerus noſter.* *Diſſ. IV. pag. 210.*

XXIX. Sed haec, uti levicula ſunt, ita de pretio *Primormordiorum Corcyrae* nihil omnino detrahunt, in qvibus Graecae antiqvitates cum varia doctrina conjunctae multam legentibus voluptatem, et auſim dicere non nullam utilitatem afferunt. Qvamvis enim id, qvod in literis antiqvis fructuoſum eſt, non ſtatim nec ubiqve ſe ſentiendum offerat; ſaepe tamen contingit, ut ſpreta antiqvitas neglectum ſui in minimis rebus vindicet. Exemplum praebet jucundus error *Newtoni*, vah qvanti Philoſophi, qvi ambiguitate Graeci vocabuli σφαῖρα deceptus, novam Chronologiam ſuam merae hallucinationi ſuperſtruxit, dum regiae puellae Nauſicaæ, Alcinoi filiae, inventionem globi tribuit: qvam vero non globum, ſed pilam inveniſſe, perſpicue oſtendit ſummus Inſulae Antiſtes. Caeterum, ut nomen *Corcyrae* *Prim. Corc. Cap. XVI.* ab Aſopi filia cum auctoribus Graecis, aut ex Arabico idiomate cum Bocharto deducam, antiqviſſimum Inſulae nomen *Drepane*, quod ex terrae, in falcis modum curvatae, figura, omnino deſumptum eſt, prohibet. Nam *Corcyra*, Κορυφῶ, et *Corfu*, ſi ad eas lingvas, qvae voces habent idem ſonantes, referantur, itidem a notione curvitatis factae cenſeri poſſunt. Excipio tamen *Scheriam*, qvae locum, non curvum, ſed e mari prominentem, deſignare videtur. Sed hanc verborum Philoſophiam, qvia extra ſepta praeſentis argumenti eſt, in calcem paginae rejiciam *(b)*.

N 3 XXX.

(*b*) Curvus et incurvus Celtica Lingva dicitur *crwcca*, teſte Boxhornio in Lex. Ant. Brit. Imo etiam Scythica. Nam *krock* Svecis etiamnum eſt curvus, et *kröc-*

XXX. Antiqvitates *Graeciae*, qvas hactenus confideravimus, ita funt comparatae, ut paene omnes cum *Graecia Italiae* cohaereant. Hinc Archaeologiae ratio exigere videtur, ut, prius qvam ad Romanos accedamus, qvod neglecta *Italiae Graecia* absqve faltu fieri neqvit, de nummis ejus aliqvid in tranfitu dicamus. Italiam antiqviffimis temporibus a Graecorum Coloniis freqventatam excultamqve effe, vidimus fupra, fi modo eorum, quae de Pelasgis Aboriginum in Latio conditoribus, de Velienfibus feu Eleatis in Lucania, de Hyrinis in Japygia, et pluribus aliis Italiae civitatibus a Graecis oriundis, obiter diximus, adhuc reminifcimur. Hinc fcil. *MAJOR GRAECIA dicta eft Italia* (utor verbis Fefti), *qvod in ea multae magnaeqve civitates fuerunt, ex Graecia profectae.* Haec Italiae pars etiamfi certos fines definitosqve limites non habuerit, ampliffima tamen fuit, et a Latio, ubi gens Pelasga confedit, ad ultimas usqve Italiae oras, hoc eft, ad Bruttios et Calabros ufqve protenfa: non qvod Pelasgi ufqve eo diffufi fuerint, fed qvod variae Graecorum gentes totum illud Italiae latus, qvod infero Mari alluitur, diverfis temporibus, qvamvis non folae tenuerint. Nam illas Graecorum immigrationes aliarum qvoqve gentium coloniis intermixtas fuiffe, fatis conftat. Ita *Capuani* a Trojanis, *Caleni* a Thracibus, *Picentini* a Sabinis, alii ab aliis conditi memorantur.

XXXI.

---

kröckia curvare. Germanis vero *kurke* eft cucumis, quia curvus, et *krucke* furca alaris, ob curvamen in fummitate. Plurium Linguarum confenfum vide in GLOSSARIO GERMANICO. Ita etiam *Corfu* eft a *curvus*. Quamvis etiam a *Corcyra* formari potuerit, fi, qvod faepe fit, gutturalis in labialem mutetur. Cujus mutationis exempla fuppeditabunt ejusdem Gloffarii PROLEGOMENA Sect. III. in CH.

Scheria, fi interpres Scythicus adfit, eft omnis locus e mari prominens, habitabilis et inhabitabilis, a verbo antiquo *fcoren* prominere. Inde fcopuli in littore Suecico etiamnum vocantur *fcheren*, a prominentia, et fumarium Germanis *fchorftein*, quia eft lapis fupra tectum eminens. Ob eandem caufam omne littus Graecis dicitur *χερὸς* apud Hefychium, Anglofaxonibus *fcore*, Anglis *shore*, quia fupra aquas eminet.

XXXI. Antiqvissimum Graecorum opus in Italia haud dubie sunt *Aborigines*, homines e Pelasgide seu Arcadia oriundi, et postea *Latini* dicti. Sunt, qvi artem monetandi in Latio inventam esse a Rege Latinorum *Jano*, vel hospite ejus *Saturno*, horumqve principum monetam gemino vultu et navigio signatam, etiamnum in Museis custodiri praedicant. Sed hanc monetam ad tantam antiqvitatem neqvaqvam assurgere, et ab ipsis Romanis sero excusam esse, ex historia Assium Pliniana postea patebit. Facilius admitti possunt nummi ab urbibus Latii *Antio* et *Axure*, excusi, et a Goltzio depicti et explicati, qvamvis ab Harduino ex nummis antiqvis Populorum et Urbium nescio qva ratione exclusi, forte qvod illos cum Romana Historia conciliare non poterat. Verum sive *Antiates* et *Axuritani* hos nummos ante bella cum Romanis gesta, sive postea excuderint, mirum videri non debet, nummos extare Italicos Romanis nummis antiqviores, aut ab aliis urbibus excusos. Nam primo satis constat, Romanos rem monetariam tam diu neglexisse, ut inter omnes Italiae populos, qvi nummos fabricarunt, paene novissimi essent. Cujus rei testes sunt nummi innumerabiles a Civitatibus Magnae Graeciae excusi, qvorum antiqvitas longe supra denarios Romanos excurrit. Deinde nullus dubitationi locus est, qvin aliae qvoqve urbes Italiae, praeter Romam, qvamvis Romanis obnoxiae, nummos signaverint ex prisco instituto. Erant enim Romanorum *Sociae*, et nulla lege illis obstrictae, nisi delectus militaris, et belli sine duce Romano non gerendi, caetera liberae, et suis legibus utentes. Qvod ne prolixe ex Annalibus Romanis comprobare cogar, compendio utar, et Romanorum cum victis agendi rationem, verbis illustris *Scipionis Maffei* conceptam, hic apponam: *Romanos ad tam invidendos rerum successus evexit una illa regula, ab aliarum gentium institutis diversa, qvam secuti alios populos in majestatis suae societatem admiserunt, ut suis commodis faventiores redderent; et, cum victis propriam conditionem communicando, socios illos magis qvam subditos habere voluerunt.* Habemus etiamnum nummos tempore *Belli*

Postea cap. X. §. 21.

Goltz. M. Graec. Tab. XVII.

Orig. Etrusc. pag. 60. interprete Lottero.

An. U. C. 662. *Belli Socialis* vel paulo ante ab iſtis Civitatibus communi ITALIAE nomine excuſos, in qvibus octo conjurati porcellum bacillis tangunt *(i)*. Habemus etiam alios Italiae nummos, qvos, qvia Romanis aegre conveniunt, *incertos* vocamus. Et de hac incertorum turba, magna cum veriſimilitudine, dici poteſt, OMNES INCERTOS, qvi Romanis aptari non poſſunt, et nihilominus illis ſimiles, et Latinis literis inſcripti ſunt, VIDERI CIVITATIBUS ITALIAE TRIBUENDOS, niſi aliae adſint cauſae, quae nos aliter determinent. His ita ſuppoſitis, atqve ut par eſt conceſſis, nulla ratio ſupereſſe videtur, cur *Latiales* nummi ex ſerie antiqvorum nummorum proſcribendi ſint. Hoc pacto cum Romana Hiſtoria conciliari etiam poſſunt nummi Hetruſci, et inprimus vexatiſſimus ille *Coſanus*, qvem in auro et argento poſſidet Magnific. hujus Urbis SENATUS. Cernitur in hoc nummo *Lucumo* ſeu Magiſtratus Coſanus, inter duos togatos haſtis vel ſecuribus inſtructos incedens, cum epigraphe K ° Σ Ω N. et in averſa aqvila altero ungve lauream, altero ſceptrum tenens.




al. Teanenſes. XXXII. Proxime Latium ſunt *Tiani*, *Sveſani*, *Caleni*, qvorum nummi, qvi ſuperſunt, Graecas habent inſcriptiones apud Goltzium, Latinas apud Scipionem Maffeum in Originibus Etruſcis. Qvi ne ſoli ſint, efficiunt ſimiles *Calenorum* nummi Latinis Literis inſcripti in Muſeo Lipſienſi. Omnium unus (qvod mireris) typus monetalis eſt, ſi non in ſingulis, ſaltim in qvibusdam eorum nummis, caput puta galeatum Minervae in una

Goltz. M. Graec. Tab. XVIII. XIX.

(*i*) Vide Theſ. Morell. cum excellenti Commentario Sigeberti Havercampii Tomo II. pag. 458. ſeq.

una, et Gallus erectus cum ſydere vel Sole a tergo, in altera ſuperficie.



Qvae res, cum absqve communi cauſa concipi non poſſit, neceſſario vel cultum Minervae communem, ejus ſcil. cui gallus ſacer fuit, vel (qvod ab illuſtri Maffeo ingenioſe excogitatum) ſummam earum Civitatum erga Pythagorae placita reverentiam indicat. Utraqve conjectura idoneo teſtimonio ſe tuetur. Illa Pauſaniae, qvi gallum gallinaceum *avem Minervae Erganae ſacram* vocat (k): Haec Jamblichi, qui inter praecepta Pythagorae etiam hoc refert, *gallum non eſſe immolandum*, *qvod Soli et Lunae ſacer eſſet*. Puta ob cantum, quo horas nocturnas, et Solis adventum nunciat. Qvodſi haec conjectura alteri praeferatur, neceſſe eſt, hos nummos ab aetate Pythagorae non longe remotos eſſe (l).

Jambl. in vit. Pyth. edente Küſtero p. 70. et 124.

XXXIII. Hos ſeqvuntur *Cumani*, *Puteolani*, *Neapolitani*, *Nolani*, et ex longo intervallo *Picentini* et *Paeſtani*, et infra illos *Velienſes* in Lucania, aliique complures, ad ultimos usqve Bruttiorum *Locros* et *Rheginos*, qvorum nummos aeri inciſos et

(*k*) Pauſan. Lib. VI. cap. 26.

(*l*) Samium Pythagoram Servio Tullio regnante in ultima Italiae ora circa Metapontum, Heracleamqve, et Crotonam, juvenum ſtudia aemulantium coetus habuiſſe, ſcribit Livius Lib. I. cap. 18. Regem vero Numam ad Pythagorae dogmata Religionem accommodaſſe, aut ſcitis ejus imbutum fuiſſe, negat ibidem, iterumque Lib. XL. cap. 29. Qvicqvid ſit, *Philoſophiam Italicam* potuiſſe in Campaniam uſqve penetrare, et in Civitatibus illis, qvas nominavimus, in maximo flore fuiſſe, etiamſi Pythagoras ipſe uſqve eo non penetraverit, extra dubium eſt.

et commentario illustratos erudito Orbi pridem communicavit Goltzius in Historia Urbium Populorumqve Magnae Graeciae. Tanta autem est horum nummorum in figuris et inscriptionibus, caelatura et inventione, cum antiqvissimis Graecorum conformitas, ut, nisi nomen civitatis aut populi in singulis more patrio Graecorum expressum extaret, eos non in Italia, sed in ipsa Graecia signatos putares. Unde porro inducor, ut illos Magnae Graeciae nummos, si non omnes, certe plerosqve imperio Romanorum in illis partibus antiqviores esse, et qvintum Urbis saeculum, qvo argentum Romae signari coeptum, longe antecedere, libenter credam; praesertim cum hujus opinionis ducem habeam illustrem Maffeum in Originibus Etruscis jam saepe laudatis. Fateor, antiqvitatem monetae Romanae hoc modo deprimi, et Italiam reddi pecuniosam, anteqvam Romanis subjectam. Sed hoc incommodum aut nullum aut leve est. Enim vero, sive amor rei rusticae et permutationis antiqvae, sive metus malorum, qvae pecuniam seqvi solent, sive spes majoris securitatis tam publicae qvam privatae, sive contemptus divitiarum et commerciorum, sive exemplum Lacedaemoniorum et admiratio Lycurgi, sive aliae causae priores Romanos a cura nummorum retraxerint, certum est, imo certissimum, qvamvis incredibile videatur, illos in hoc negotio valde seros et segnes, posterisqve dissimiles fuisse, et primis Reip. temporibus nulla pecunia usos esse; postea qvidem *aerea*, et ex longo intervallo etiam *argentea*, sed prius aliunde advecta et vendibili, qvam sua. Id qvod nunc ordine ostendam.

Orig. Etrusc. pag. 58.



CAP.

CAP. IX.

DE NUMMIS ROMANORUM, ET PRIMO DE ASSE.

I.



Romam bello Trojano vetuſtiorem eſſe, *Antiochum Syracuſanum* exiſtimaſſe, ex Dionyſio Halicarnaſſenſi refert illuſtris Originum Etruſcarum et Latinarum auctor. *Cap. XV. pag. 61. 62.* Ipſe non contentus vulgari opinione, qva primus fundationis terminus in primo ſeptimae Olympiadis anno conſtituitur, majorem, qvam nos qvidem novimus, Urbis antiqvitatem ex cloacis Tarqvinii Priſci aevo exſtructis, et nummis qvibusdam Romanorum colligere ſatagit. Nos miſſa hac diſputatione, nummis ejus obſcuris clariores opponimus.

II. Si caput Jani bifrontis, Palladium Penatesque, et lupa Gemellos lactans, quae ſunt vetuſtiſſima Romanae originis in nummis hodienum conſpicua documenta, invicem contendantur, patebit, Romanos primo a Jano Aboriginum Rege, deinde a Trojanis, qui Lavinium et Albam longam condiderunt, poſtremo a Romulo ortos videri voluiſſe. Quae, etiamſi multis fabulis permixta ſint, hoc tamen declarant, quid Genti illi a paſtoribus ortae, illo tempore, quo nummos ſignare coepit, de origine ſua perſvaſum fuerit. Qvibus nos, qvi in re nummismatica hic verſamur, tam diu acqvieſcere poſſumus, donec certiora aliunde probentur.

III. Romanos ante urbem conditam, et ſtatum publicum ſub Regibus formatum, nummorum ignaros et plane expertes fuiſſe, certiſſimum eſt, et ab ipſis Scriptoribus Romanis memoriae traditum. Inprimis vero Plinius Secundus, qvi rem monetariam Romanorum a prima origine, non tranſitoria, ſed juſta narratione complexus eſt, hic audiri meretur. Nam hoc auctore neglecto aut repudiato inſtabiles et incerti vagabimur in

re praesenti, similes eorum, qui mare navigant pyxide nautica destituti. Utar autem editione Harduiniana ceu castigatissima et ob eruditionem editoris nominatissima.

Lib. XXXIII. cap. 3. *Proximum scelus fecit, qvi primus ex auro denarium signavit: quod et ipsum latet incerto auctore. Populus Romanus ne argento qvidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est. Librales (unde nunc etiam libella dicitur, et dupondium) appendebantur asses. Quare æris gravis poena dicta. Et adhuc expensa in rationibus dicuntur: item impendia, et dependere. Quin et militum stipendia, hoc est, stipis pondera, dispensatores et libripendes dicuntur: qua consuetudine in his emptionibus, qvae mancipii sunt, etiam nunc libra interponitur. Servius Rex primus signavit æs. Antea rudi usos Romæ Timæus credidit. Signatum est nota pecudum, unde et pecunia appellata. Maximus census CX. M. assium fuit illo rege: et idcirco haec prima classis.*

Argentum signatum est anno Urbis CCCCLXXXV. Q. Ogulnio, C. Fabio Coss. quinqve annis ante bellum Punicum. Et placuit Denarium pro Decem libris æris, Qvinarium pro qvinqve, Sestertium pro Dupondio ac Semisse. Librale autem pondus aeris imminutum bello Punico primo, cum impensis Respublica non sufficeret: constitutumqve, ut Asses sextantario pondere ferirentur. Itaqve quinqve partes factae lucri, dissolutumqve aes alienum. Nota aeris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in Triente vero et Qvadrante rates. Qvadrans antea Teruncius vocatus a tribus unciis Postea Hannibale urgente Marcum, Q. Fabio Maximo Dictatore, Asses Unciales facti: placuitqve Denarium sedecim Assibus permutari, Qvinarium octonis, Sestertium qvaternis. Ita Respublica dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper Denarius pro decem Assibus datus. Nota argenti fuere Bigae atqve Qvadrigae, et inde Bigati, Qvadrigatique dicti. Mox Lege Papiria Semunciales Asses facti. Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit. Qvi nunc Victoriatus vocatur, Lege Clodia percussus est.

Antea

Antea enim hic nummus ex Illyrico advectus mercis loco habebatur. Est autem signatus Victoria, et inde nomen.

Aureus nummus post annum LXII. percussus est, qvam argenteus, ita ut Scrupulum valeret Sestertiis vicenis: quod effecit in libras, ratione Sestertiorum, qvi tunc erant, Sestertios DCCCC. Post haec placuit X. XL. signari ex auri libris, paulatimqve Principes imminuere pondus: minutissime Nero ad XLV.

Qvae utinam tam luculenta essent, qvam sunt amplissima. *Æream*, *argenteam*, & *auream* monetam non iisdem temporibus, sed diversis, Romae signari coepisse, perspicue docemur: in reliqvis ordinem et lucem desideramus. R. P. Harduinus, Jesuitarum doctissimus, qvi singula pene verba Plinii peculiari Commentariolo prosecutus est, nodos, qvibus implicantur, aut dissimulavit, aut magis intricatos reddidit.

Hard. de re Monet. Vet. Romanor. ex Plin. Sec. sententia.

IV. Primus Romanorum nummus fuit *Aereus*, et insignem habet vetustatem. Qvamvis enim primordia Urbis non adtingat, eo tamen tempore, qvo adhuc Regibus utebantur, percussus est. *Servius Rex primus signavit Aes.* Hoc nusqvam alibi scripto traditum legimus, nec a Livio, nec a Dionysio Halicarn. praecipuis Annalium et Antiqvitatum Romanarum Scriptoribus, tanto magis obligati Plinio, qvod rem tam memorabilem aliis neglectam, literis consignaverit. Servius Tullius, sextus in ordine Regum, sed primus injussu populi regnum adgressus, coepit regnare anno Urbis CLXXV. et regnavit qvatuor et qvadraginta annos, secundum Livium. Qvando nummum suum signaverit, ignoratur. Credibile tamen est, qvum opum maxime appetens esset, et hoc inprimis affectasset, *ut, qvemadmodum Numa divini auctor Juris fuisset, ita Servium conditorem omnis in Civitate DISCRIMINIS, Ordinumqve, qvibus inter gradus dignitatis fortunaeqve aliqvid interlucet, posteri fama ferrent;* eum, postqvam ab Hetruscis victor Romam rediit, pacis opera longe maxima hoc nummo auspicatum esse. Nam ut cujusqve facultates, qvae antea pecoribus aestimabantur, aere censeri possent, ante omnia pecunia opus erat. Et huic deinde,

Liv. Lib. I. cap. 48.

Id. Lib. I. c. 42.

ceu novo Reip. fundamento, CENSUM, et reliqva opera Censui superstruxit. *Censum instituit*, inqvit Livius, *rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex qvo Belli Pacisqve munia non viritim, ut antea, sed pro habitu pecuniarum fierent.* Et capite seqventi: *Ad eqvos emendos dena millia aeris ex publico data, et qvibus eqvos alerent viduae attributae, qvae bina millia aeris in annos singulos penderent. Haec omnia in dites a pauperibus inclinata onera.* Qvae, sicut cum narratione Pliniana de primo monetae auctore, pulchre conveniunt; ita nullum dubium relinqvunt, qvin idem Rex, monetae Romanae non restitutor (ut qvidam, qvi fabulas de Jano et Saturno sectantur, autumant), sed inventor fuerit.

Ibid.

V. Qvidam existimant, Plinium sibi contradicere, et alio loco *Numam* numismatis auctorem commendare. Ita sentit illustr. Spanhemius. Et editio Harduina verba Plinii ita emendat, ut idem dicere videatur *(m)*. Mihi ea demum emendatio hoc nomine digna videtur, qvae auctorem ab inconstantia et contradictione liberat, et secum et ipso qvam minime committit. Qvem finem asseqvemur, si ita legamus: *Docuimus, qvamdiu Populus Romanus aere tantum signato usus sit, et alia, qvae vetustas tradidit. Aequalem urbi auctoritatem Aeris declarat a Rege Numa collegii tertii aerariorum fabrum institutio.* Nam in hoc Procemio Plinius transitum facit ab aere signato ad considerationem aeris rudis et non signati, ejusqve usum, qvem auctoritatem vocat, natalibus urbis aeqvalem

Spanh. Tom. I. Diss. 1. pag. 20. Ed. Lond.

(m) Plinius Lib. XXXIV. Cap. 1. Edente Dalechampio: *Docuimus, qvandiu Populus Romanus aere tantum signato usus esset, et alia, qvae vetustas tradidit, cum aequalem Urbi autoritatem ejus declararet, a Rege Numa collegio tertio aerariorum fabrum instituto.* Edente Harduino: *Docuimus, qvamdiu Populus Romanus aere tantum signato usus sit. Sed et alia vetustas aeqvalem Urbi auctoritatem ejus declarat, a Rege Numa collegio tertio Aerariorum fabrum instituto.* Idem in notis: *Sed et alia vetusta causa aeris signati usum et auctoritatem aequalem Urbis natalibus facit.* Per primum autem et secundum Collegium intelligit Collegia *Sacerdotum* et *Augurum*, per tertium *fabros monetales.*

lem fuiſſe, inde probat, qvod Numa, primus a Romulo, praeter *aurifices* et *fabros ferrarios*, tertium fabrorum Collegium, nempe *aerariorum* inſtituiſſet. Fabri autem *aerarii* dicuntur, non qvi monetas cudunt, ſed qvi vaſa et arma ex aere conflant. Plutarchus qvidem duo tantum fabrorum collegia a Numa inſtituta memorat, χρυσοχόων et χαλκέων, *aurificum* et *aerariorum (n)*: ſed in ſecundo genere haud dubie tertium comprehendit. Nam χαλκεὺς Graecis nonſolum *aerarium*, ſed etiam *ferrarium* fabrum ſignificat, et uſurpatur eo ſenſu ab ipſo Homero in Odyſſea, ubi faber ferrarius, qvi ſecurim vel aſciam fabricat, ἀνὴρ χαλκεὺς vocatur. *Odyſſ. IX. v. 391.* Hactenus igitur nihil in Plinio eſt, cur ſecum ipſe pugnare, aut qvod antea Servio tribuit, nunc Numae tribuere cenſendus ſit. Suidam tamen Numae adſcribere, qvod Servio proprium, uti facile largior, ita auctoritate ejus et Tranqvilli non magnopere moveor *(o)*. Nam audax Grammaticorum genus, qvod, ut jam ſupra animadvertimus, bovem nummum tanqvam a Theſeo excuſum, in gratiam Etymologiae Homericae cujusdam vocis confinxit, idem de Numa etymologiae cauſa comminiſci poterat, qvod ſcil. nomen ſuum *Nummis* communicaverit. *Sup. cap. IV. §. 8.* Omitto nunc qvaeſtionem de origine nominis, in qvo profecto nihil eſt, qvod nobis communicationis illius neceſſitatem imponat. Nam *nummus* dici potuit a νέμω do et accipio *(p)*, vel detruncari a νόμισμα, qvod eſt a νόμος lex, per ver-

(n) Plut. in vita Numae pag. 71. *Diviſit autem Civitatem per artes tibicinum, aurificum* (χρυσοχόων), *fabrûm* (τεκτόνων), *tinctorum, ſutorum, coriariorum, aerariorum* (χαλκέων), *figulorum: reliqvas artes in unum coëgit, fecitqve ex omnibus corpus unum, collegiaqve, et concilia, atqve ſacra cuiqve ſectae decentia attribuit.*

(o) Suidas: ΑΣΣΑΡΙΑ, *oboli Moneta. Numa primus a Romulo Romanorum Rex, ex ferro et aere factam monetam Romae primus introduxit, cum omnes, qui ipſum anteceſſerunt, ſcorteis et teſtaceis uſum explerent. Hanc monetam de ſuo nomine N U M M O S appellavit, ut ait Tranqvillus.*

(p) Graecis νέμειν non ſolum eſt dare, tribuere, ſed etiam interdum idem quod Germanis *nemen*, capere, accipere, ut patet ex compoſitis κληρονομεῖν hereditatem capere, et κληρονόμος haeredipeta, haeredipeta.

Ariſt. Ethic. ad Nicomach. Lib. V. cap. 5.

verbum νομίζω lege ſancio, qvia nummus, ut Ariſtoteles docet, et res ipſa demonſtrat, *non a natura, ſed a lege exiſtit.* Sed revertamur ad Servium.

VI. Romanos ante Servium rudi aere uſos esſe, Timaeus credidit, Plinius non crediḋiſſe videtur. Cur enim fidem propriam interponere formidaret, dicendo, *Timaeus credidit*, ſi idem ſibi certum perſpectumqve fuiſſet? Qvicqvid vero ſit, (nam de hoc argumento jam ſupra qvantum ſatis eſt, diſputavimus), dubium non eſt, qvin hoc nummo uſus maſſarum, ſi ullus fuit, ſtatim ſublatus ſit.

Sup. Cap. III. §. 11.

VII. Latini hunc nummum *Aſſem* vocant, ſive ab *aes*, qvod totus ex aere ſit, ſive ab εἷς unus, qvod unitatis nota ſignetur, et principium numerandi ab aſſe ſit. Utramqve etymologiam apud Varronem invenio *(q)*. Dicitur etiam *Aſſis libralis*, *librilis* et *librarius*, qvod a prima inſtitutione libram Romanam ſeu XII. uncias pondere ſuo aequaret *(r)*. Plinius tamen videtur Aſſem appellare *libralem*, qvod librae appenderetur. Nam ab Aſſe appenſo et *expenſorum* et *impendiorum* et *ſtipendiorum* vocabula deducit. *Librales appendebantur Aſſes.* Aſſem publica auctoritate ſignatum, et juſto librae pondere conflatum, ab uſu qvotidiano et promiſcuo, ſeu qvod idem eſt, a vilia et obvia mercantibus, rurſus appenſum fuiſſe, qvis ſibi perſvadeat? Qvidam vir doctus in Batavis, verba Plinii ſic mutanda cenſuit: *Libra as, unde etiam nunc libella dicitur, et dipondius pendebat II. aſſes.* Verum etiamſi tales emendationes in auctoribus antiqvis ſaepe neceſſariae ſint, hoc tamen non obſtante, malim hoc loco ita interpretari Plinium, ut verba ejus a ſenſu qvam minimam vim patiantur. Qvod fieri poteſt, ſi dicamus, verba ejus a librariis transpoſita eſſe. Nam ſitu verborum mutato, omnia fiunt plana, et nullam habent difficultatem.

Hadr. Jun. Nomencl.

VIII.

(q) Varro de LL. Lib. 4. pag. 40. *As ab aere.* Et Lib. 8. pag. 118. *As, qvoniam ſimplex eſt ac principium, et unum ſignificat.*

(r) Varro de LL. Lib. 4. pag. 40. *As erat librae pondo.* Et pag. ſeq. *Libram pondo as valebat.* Feſtus in voce Grave Aes: *Deni aſſes ſinguli pondo librae.*

VIII. Transpoſitio vel hinc patet, qvod non conveniebat, Plinium de *Aſſe librali* aliqvid dicere aut docere, priusqvam *aſſem* a Servio ſignatum commemoraſſet. Nam ὕςερον πρότερον eſt vitium in oratione, et multo magis in Hiſtoria, in qva ordinis ratio habenda qvam maxime. Haec eſt autem nativa verborum ſeries: *Servius Rex primus ſignavit aes. Antea rudi uſos Romae Timaeus credidit. Signatum eſt nota pecudum, unde et pecunia appellata. Maximus cenſus CX. M. aſſium fuit illo rege: et idcirco haec prima claſſis. LIBRALES (unde nunc etiam libella dicitur, et dipondium) APPENDEBANTUR ASSES. Quare aeris gravis poena dicta. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur: item impendia, et dependere. Qvin et militum ſtipendia, hoc eſt, ſtipis pondera, diſpenſatores et libripendes dicuntur: qva conſvetudine in his emptionibus, quae mancipii ſunt, etiam nunc libra interponitur.* Ex hoc verborum nexu, ni fallor, perſpicuum eſt, non hoc velle Plinium, qvod aſſes librales in emptionibus et venditionibus viliorum rerum qvotidianis, ſed qvod in cenſu, in mulctis, in ſtipendio militari, et ubiqve in magnis ſummis ſolvendis vel accipiendis fuerint appenſi. Qvem morem Romanos ſemper ſervaſſe compendii cauſa, ex Philippica ſecunda Ciceronis diſcimus: *Tanti acervi nummorum conſtruuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniae.*

IX. Videamus primo de cenſu a Servio inſtituto, a qvo anſam dicendi, *Librales appendebantur aſſes*, nactus eſt Plinius. *Maximus Cenſus C X. M. aſſium fuit illo Rege: et idcirco haec prima Claſſis.* Feſtus hunc cenſum ad centum viginti Millia aeris auget: *INFRA CLASSEM, ſignificatur, qvi minore ſumma, qvam centum & viginti millium æris cenſi ſunt.* Sed ponamus, hunc cenſum fuiſſe tantum centum et decem millium aſſium, et tributum in ſingula cenſus millia conſtitutum, fuiſſe tantum decem aſſium: manifeſtum eſt ex conceſſis, qvod tributum primae Claſſis fuerit 1100. aſſium libralium. At qvemadmodum talis ſumma ſine plauſtro boum aerario regio importari non poterat; ita Qvaeſtores Regis eam non numeraſſe, ſed

compendii caufa librae appendiffe, prorfus credibile eft. Et ne dubitemus, mox addit Plinius, *librales appendebantur affes.* Deinde a cenfu pergit ad mulctas forenfes: *Qvare aeris gravis poena dicta.* Mulctas majores ob eandem caufam, non affium, fed librarum numero folvi confveviffe, videtur etiam colligi poffe ex verbis Fefti: *PENDERE POENAS, folvere fignificat, ab eo, qvod aere gravi* (id eft, affe librali) *uterentur Romani, penfo eo, non numerato, debitum folvebant.* Ab ufu forenfi progreditur ad ftipendium militare. *Qvin et militum ftipendia, hoc eft, ftipis pondera dicuntur.* Fuit autem ftipendium militare denis in diem affibus, ut poftea ex Tacito oftendam. Qvibus in minores partes divifis fumma exurget intra paucos dies, qvae minori temporis jactura appendi, qvam numerari poteft. Ut ftipendia Centurionum et aera eqveftria omittam. Poftremo ufum librae antiqvum ex ritu mancipandi declarat. Cum enim ante affem a Servio fignatum omnis pecunia mortua penfilis effet, nec alio modo qvam interventu librae ab emente ad vendentem tranfire poffet: inde factum, ut, qvod primo fuit neceffitatis, poftea invento affe in emptione mancipii cuftoditum fit, non compendii, fed folemnitatis caufa, et in priftini ufus memoriam. *Qva confvetudine in his emptionibus, qvae mancipii funt, etiam nunc libra interponitur.* Mancipi autem res veteribus dicebantur, qvae ita abalienabantur, ut abalienatio per certum juris nexum fieret. Nexus vero eft qvaedam Juris folemnitas, et peragebatur eo modo, qvem Cajus libro primo Inftitutionum de nexu faciendo, et ex illo Boëthius exponit his verbis: *Is, qvi mancipio accipit, aes tenens ita dicit* (in praefentia qvinqve teftium): *Hunc ego hominem ex Jure Qviritium meum effe ajo: isqve mihi emptus eft hoc aere aeneaqve libra. Deinde aere percutit libram* (qvam libripens tenebat), *idqve aes dat ei, a qvo mancipium accipit, qvafi pretii loco.* Hanc folemnitatem Harduinus ad verba Plinii appofite obfervat, eamqve retentam effe, etiam re mutata, hoc eft, etiam tum cum non amplius appenderetur, fed numeraretur pecunia, ex vero judicat.

Boëth. Comment. in Top. Cic. pag. 156. Ed. Venetae 1497.

X.

X. Signum aeri impreſſum fuere pecudes, gratiſſimae illo tempore, qvo aurum et argentum adhuc infreqvens erat, opes. Nec alia qvam pecudis figura melius conveniebat ei rei, qvae in acqviſitione rerum in locum pecudis ſucceſſit, et ſuum inde nomen accepit. *Signatum eſt nota pecudum, unde et pecunia appellata.* Alibi boves et oves nominavit: *Servius Rex ovium boumqve effigie primus aes ſignavit.* Qvibus Plutarchus in vita Poplicolae ſues addidit: *Vetuſtiſſimi nummi bove vel ove vel ſue fuerunt ſignati.* Et in Qvaeſtionibus Romanis: *Alio etiam uſi ſunt numiſmate, cui bos erat inſculptus, et ovis, et ſus.* Qvod de aliis nummis, qvam a Servio ſignatis, intelligi neqvit. Et hujus generis ſunt etiam animalia illa, qvorum caede idem Rex, cum primum CENSUM armata manu ageret, exercitum luſtravit, novo tunc SACRI genere, qvod ſecuta aetas in luſtrationibus Urbium et Legionum imitata, *Suovetaurilia* appellavit, Livius brevi temporis anticipatione uſus eodem nomine inſignivit.

Plin. Lib. XVIII. cap. 3.
Plut. pag. 103.
Liv. Lib. I. cap. 44.

XI. An ulli Aſſes librales, pecude ab utraqve parte ſignati, amplius ſuperſint, dubitavit Valentius in Praefatione ad Nummos Familiarum, nullos ſe vidiſſe affirmans ſupra *Trientem*, caeteros, cum mole ſua incommodi eſſent, ſtatim eo tempore, qvo pondus eorum imminutum fuit, conflatos exiſtimans. Qvod in eo Viro, qvi in tractatione et peritia veterum nummorum vix parem habuit, miratur Spanhemius: eoqve magis, qvod anteqvam praeclarum opus de Familiis Romanis in lucem emitteret, jam vulgatum extaret in ipſa, qvam ille incoluit, Galliarum Metropoli *Genovevianum Muſeum*, qvod luſtrare, ſi id non antea factum, nullo negotio poterat, in qvo non *Aſſes* ſolum *Librales*, et *Semiſſes*, ſed etiam inſignis mole *Qvatruſſis*, cum ſignato utrinqve bove, ſculpti et deſcripti extant. Addit deinceps illuſtris Auctor, ſe inter Cimelia Comitis Pembrochiae, qvibus in genere ſignati aeris Romani, nihil exqviſitius aut nummeroſius, noviſſime vidiſſe *Aſſem libralem*, non unum, *Semiſſes* aliqvot, et omnes fere Aſſis libralis partes, *Trientem*, *Qvadrantem*, *Sextantem*, *Stipem uncialem* unius unciae, *Sextantarium*, *Uncialem*,

Spanh. de Uſ. et Pr. Num. Tom. I. p. 20. Edit. Lond.

 Semun-

Semuncialem, et praeter illos praegrandem et oblongum, qvinqve Asses Librales pondere aeqvantem, bove ab utraqve parte signatum, singularem omnino nec visum hactenus *Qvinqvessem*: qvem ibidem in Tabula conspiciendum exhibet.

XII. Hoc non obstante, credo eos, qvi cum Valentio paucos aut nullos de primitivo Assium genere amplius superesse existimant, cautius in hoc negotio procedere, qvam alios, qvi sine ullo ponderis aut figurarum examine numerum eorum multiplicant. Qvatrussim illum ab utraqve parte bove signatum, haud dubie vidit vir curiosus, sed forte ob figuram qvadratam, non pecuniam, sed pondus esse credidit. Vidit etiam haud dubie reliqva ejusdem Musei aera; sed cum in illis alias figuras, qvam qvae Tullianis Assibus conveniunt, deprehendisset, qvi poterat ea ad eandem officinam referre? Mihi certe videntur aliud genus aeris esse, a Romano diversum, et cum illo non confundendum, sicut postea ostendam *(s)*.

CAPUT X.

DE ASSIBUS IMMINUTIS PERICULUM CRITICUM.

I



Ex Asse librali seu XII. unciarum facti sunt asses minores et leviores, difficili Reipublicae tempore. Qvae res Assi antiqvo *aeris gravis* appellationem conciliavit, ut jam supra diximus. Causam et occasionem imminuti ponderis clare describit Plinius: sed in qvantitate imminutionis definienda multis videtur obscurus, imo falsus, non sua, sed librariorum aut emendatorum culpa, qvi hunc excellentem et meliori sorte dignum Auctorem, non hoc tantum

Sup. cap. III §. 11.

(s) Infra Cap. X. §. 26. 27. 28. 29.

tum loco, ſed in aliis qvoqve et innumeris locis, ſive incuria aut ignorantia, ſive hallucinatione aut temeritate, peſſime afflixerunt, ut non amplius ſibi ſimilis ſit. Et tametſi jam multi viri doctiſſimi, et noviſſime Harduinus, magna ingenii laude multa imo innumera feliciter emendaverint: experientia tamen docuit, neminem in hunc diem omnibus emendandis (tanta eſt vitiorum colluvies) parem fuiſſe, et ſaepe emendatores ipſos emendatione opus habere. Aſſium imminutio ſecundum Plinium triplex eſt.

CONSPECTUS PRIMAE IMMINUTIONIS.

Librale autem pondus aeris imminutum Bello Punico primo, cum impenſis Reſpublica non ſufficeret: conſtitutumqve, ut aſſes ſextantario pondere ferirentur. Ita qvinqve partes factae lucri, diſſolutumqve aes alienum.

CONSPECTUS SECUNDAE IMMINUTIONIS.

Poſtea Hannibale urgente Marcum Q. Fabio Maximo Dictatore, aſſes unciales facti: (placuitqve denarium ſedecim aſſibus permutari, qvinarium octonis, ſeſtertium qvaternis). Ita Reſpublica dimidium lucrata eſt.

CONSPECTUS TERTIAE IMMINUTIONIS.

Mox Lege Papiria aſſes ſemunciales facti.

Verba ita concepta ſunt, acſi Reſpublica neceſſitate compulſa ex Aſſibus *XII. unciarum* aſſes excuderit primo *duarum unciarum*, ex his mox alios *unius unciae*, et ex his rurſus alios *unius ſemunciae*. Et ſic etiam vulgo Plinium interpretantur. Sed qvod primo adſpectu clarum et perſpicuum videtur, adhibito examine tam difficile et intricatum deprehenditur, ut nonſolum comprehenſionem, ſed etiam fidem excedat.

II. Enim vero ſi imminutio illa tam immanis fuiſſet, ut vulgo perhibent, majorem in Republica ſtragem qvam Bellum Punicum edidiſſet. Credibile autem non eſt, praeſertim, cum

Liv. Lib. XXVI. cap. 36.

poſt cladem Cannenſem omne aurum, argentum, aesqve ſignatum, ab omnibus (ut Livius ſcribit) voluntaria collatione ad aerarium delatum ſit: Senatum voluiſſe hac civium benevolentia abuti, aut publicam calamitatem domeſtica augere, divites omnes ad extremam paupertatem redigendo. Qvod ſi feciſſet, non lucrum ex imminutione, ſed ex latrocinio qvaeſiviſſet. Qvalis enim eſt iſta imminutio, qvae libram ad unciam vel ſemunciam redigit? Aut qvanam in civitate ab origine imperiorum facta vel audita? Qvam alienus fuerit ab hoc violento et exitiali conſilio Senatus, docet Feſtus: *SEXTANTARII ASSES in uſu eſſe coeperunt ex eo tempore, qvo propter Bellum Punicum ſecundum, qvod cum Hannibale geſtum eſt, decreverunt Patres, ut ex Aſſibus, qvi tum erant librarii, fierent Sextantarii, per qvos, cum ſolvi coeptum eſſet, et populus aere alieno liberaretur, et privati, qvibus debitum publice ſolvi oportebat, NON MAGNO DETRIMENTO afficerentur. Septuennio qvoqve (anno) uſus eſt, ut priore numero, ſed id non permanſit in uſu, nec amplius proceſſit in majorem.* Fateor, Feſtum tam in tempore imminuti ponderis, qvod in Bellum Punicum primum, non ſecundum incidit, qvam in termino durationis, qvi Septennium longe excedit, hallucinatum eſſe: Sed non ideo erraſſe cenſendus eſt in eo, qvod aeqvitati Senatus, et publicae ſaluti conveniebat, ut fieret. Qvae cum ita ſint, nec aliter a ſcientiae civilis gnaris concipi poſſint, neceſſe eſt, Plinium, non ut vulgo, ſed ita interpretari, ne ex nimia et injuſta imminutione privati magno et intolerabili detrimento afficiantur.

III. Videamus igitur primo, qvid ſit *Aſſis Sextantarius?* Nam hoc primae imminutionis nomen eſt, qvamvis a Plinio non conſignatum, et hoc niſi prius cognito et perſpecto, qvid ſit *uncialis*, neceſſario ignoratur. *Patres*, inqvit Feſtus, *decreverunt, ut ex Aſſibus, qvi tum erant librarii, fierent ſextantarii.* Qvod cum de aſſibus in ſextantes mutatis intelligi neqveat, eo qvod talis aſſis ſine maximo privatorum damno obtrudi non poterat: neceſſario relinqvitur, ut *aſſis ſextantarius* ſecundum Feſtum ſit aſſis

aſſis uno ſextante levior, et ſic dicatur, non a pondere ſextantario, ſed a pondere imminuto, qvod erat *ſextans*. Et in hac appellationis ratione nihil omnino eſt, qvod aeqvum rerum et verborum aeſtimatorem offendere poſſit. Natura enim Aſſis ſic comparata eſt, ut in ſtatu diminutionis aliunde denominari, niſi ab eo, qvod illi deeſt, non poſſit. Extra hanc conſiderationem *Sextantem* aut *Unciam* appellare *Aſſem*, qvid aliud eſt, qvam res et nomina rerum confundere? Qvod ſi Feſtus alio loco contrarium ſcripſit, nimirum, Populum Romanum aere alieno preſſum *ex ſingulis aſſibus librariis ſenos feciſſe, qvi tantundem valerent*; cum Feſto ita tranſigam, ut liceat mihi Feſtum memoria lapſum ex ſe ipſo corrigere, et pro *ſenis* aſſibus *ſextantarios* reponere. *Feſt. in v. Grave aes.*

IV. His igitur ita conſtitutis, primae imminutionis negotium ſic intelligendum arbitror, ut Senatus Rom. dum Bellum Punicum Primum trahitur, ex *Aſſibus librariis* unius ſextantis detractu fecerit *Sextantarios* dextantario pondere. Cum vero in *Sextante*, ut periti ex Voluſio Maeciano norunt, ſint duae unciae, in *Dextante* decem unciae, ſeu qvinqve ſextantes: inde factum, ut Senatus Rom. prima aſſis imminutione unum *Sextantem*, ſeu *qvintam partem Dextantis* lucratus ſit. Hoc eſt, qvod Plinius voluit, ſi eum, ut ſibi conſtet, a corruptelis priorum temporum liberemus. Qvod fieri poteſt, ſi cum Andrea Alciato ita legamus:

Librale autem pondus aeris imminutum Bello Punico primo, cum impenſis Reſpublica non ſufficeret, conſtitutumqve, ut aſſes DEXTANTARIO pondere ferirentur. Ita QVINTA PARTE facta lucri, diſſolutum eſt aes alienum. *Alciat. Lib. de pond. et menſ. Op. Tom. 4. pag. 901.*

Prior emendatio in nulla qvidem Editione occurrit, poſterior vero, a qva prior dependet, in multis. Editio Jenſoniana Venetiis 1472. et Editio Terviſiana 1479. in textu habent *qvinta parte*. Editio Veneta 1513. in margine habet *qvinta parte fracta*, pro *facta*, et Editio Dalecampii *qvinta parte* in margine ex Manuſcripto.

V.

V. Altera aeris imminutio fuit ejusdem indolis, si qvid video, et vocatur *uncialis*, non a pondere unciali, sed a pondere imminuto, qvod fuit *uncia*. Qvemadmodum enim Bello Punico primo asses librales mutati sunt in asses Sextantarios dextantario pondere, unius sextantis detractu: ita Bello Punico secundo asses Sextantarii mutati sunt in asses *unciales* dodrantario pondere, unius unciae detractu. Et ita factum est, ut Senatus *dimidium* prioris lucri seu dimidium sextantem secunda assis imminutione lucratus sit. Hoc opinor voluit Plinius scribendo:

Postea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, asses unciales facti. Ita Respublica dimidium lucrata est.

Verba intermedia, *placuitqve denarium XVI. assibus permutari* etc. cancellis includi curavimus, qvia Plinius, ut jam supra, ita etiam hic aliqvid passus est a manibus indoctis, et pene dixerim temerariis, qvae verba ejus e loco nativo huc transtulerunt. Spectant autem ad conspectum tertiae seu ultimae assium imminutionis, non secundae. Nam *Denarii cum XVI. assibus permutatio* serius placuit, cjusqve placiti causa fuit, non necessitas, sed ratio; et postqvam semel placuit, aeternum placuit Romanis, nec unqvam mutatum est, ne tunc qvidem, cum Plinius haec scriberet. Id qvod ex Vitruvio et Maeciano, infra producendis, tam manifestum est, ut concipi non possit, qvo jure Harduinus eorum verba pro assibus uncialibus citare potuerit. Nam asses Vitruvii et Maeciani sunt asses ab *uncialibus* Plinii toto genere diversi. Illi ratione facti sunt, hi necessitate. Illi sunt assium postremi, et ab usu constanter retenti; hi assium secundi, et Lege Papiria antiqvati.

Supra cap. IX. §. 7. 8.

Infra §. 11. et 12.

VI. Verba ipsa aperte satis produnt, se ab errore vel ignorantia alieno loco intrusa esse, cum qvia vinculum orationis, qvod est inter duo extrema, antecedentia et conseqventia, rumpunt, tum qvia Plinio contradicunt, et aliud lucrum in locum dimidii substituunt. *Sextantarium* ajunt esse assem *duarum unciarum*, *uncialem unius*. Qvo jure, nunc non inqviram, etiamsi incre-

incredibile ſit, Romanos unqvam tam ſtolidos, aut, ſi mavis, patriae tam amantes fuiſſe, ut in talem imminutionem, latrocinio qvam ſalutari conſilio ſimiliorem, omnes conſenſerint. Hoc tantum inqviram, qvid ex hac doctrina ſeqvatur, et an cum verbis Plinii conſiſtere poſſit? Aſſes *unciales*, ut ſupponitur, cuſi ſunt ex Aſſibus *ſextantariis*, bini ex ſingulis, minoris qvidem ponderis, ſed ejusdem valoris ut aſſes librales, ſeu qvod idem eſt, duodeni in ſingulas libras, cum antea tantum ſeni ferirentur. Hoc ſuppoſito, manifeſtum eſt, Rempublicam ex hac nova aſſium fabrica dimidium prioris lucri cepiſſe. Qvaero igitur, cur verba illa, *ita Resp. dimidium lucrata eſt*, qvae naturaliter cohaerent cum antecedentibus verbis, qvibus *Aſſes unciales a Fabio Dictatore facti* commemorantur, cur, inqvam, ab illis ſeparentur, et verſiculo *Denarii* interrumpantur, qvi verus eſſe non poteſt, niſi Plinius veri lucri prorſus ignarus fuerit? En verba verſiculi: *Placuitqve Denarium ſedecim Aſſibus permutari* etc. Qvae verba hoc loco aut nullum habent ſenſum, aut hunc: Placuit iis, qvi Denarios ſuos ad aerarium publicum deferrent permutandi cauſa, pro ſingulis Denariis XVI. Aſſes unciales, qvorum ſinguli aſſem libralem valerent, rependi. Ante imminutionem Aſſium Denarius valebat X. Aſſes librales, ſeu qvod idem eſt, CXX. uncias. Qvod probe notari velim, ut lucrum, qvod ex illa conſtitutione, qva Denarium XVI. unciis permutari placuit, ad Aerarium redire debuit, eo melius intelligatur. Nam hinc tanqvam ex menſura cognoſcimus, qvod Respublica pro Denario XVI. tantum uncias reddendo, neceſſario CIV. uncias aeris lucrata ſit, qvae faciunt VI. Denarios et I. Qvinarium, lucrum ingens et enorme in ſingulos Denarios. Hunc placiti ſenſum exigit ſitus verborum; ſed ab illo viciſſim ſuſpectus redditur. Enim vero niſi totus verſiculus fuerit ex alio loco huc translatus, ſcire velim, qvi Plinius poſſit ex illo hanc lucri ſummam ſubducere: *itaqve Respublica dimidium lucrata eſt?* Cum potius dicendum fuiſſet, *itaqve Resp. dimidium in aere, et plus qvam ſextuplum in argento lucrata eſt.* Harduinus hanc difficul-

Q tatem,

tatem, qvam pro ſua perſpicacia ignorare non poterat, diſſimulando praeterit, et ratiunculis qvibusdam, ſed nihil concludentibus, oſtendere conatur, *Remp. in ſingulos denarios unum lucratam eſſe (t)* Hoc ille *dimidium* vocat. Hoc Plinium per *dimidium* intelligere ſimulat, et hac ratione ſe nodum, qvem nec Budaeus, nec Antonius Auguſtinus, nec Alciatus expedire poterant, ſolviſſe putat. Viderint alii, qvid ſolverit, mihi tam perſpicacem eſſe non licet.

VII. Tertia aeris imminutio novam offert difficultatem. *Mox Lege Papiria aſſes ſemunciales facti.* Qvid hac mutatione terribilius? Qvid Reip. perniciofius? Alciatus igitur legendum cenſet *ſecunciales*, pro *ſemunciales*. *Mox*, inqvit, *urgente neceſſitate Lege Papyriana SECUNCIALES facti ſunt, detractaqve etiam uncia ſemis.* Ratio appellationis haec eſt. Uncia et dimidia eſt *ſeſcuncia*, definiente Balbo. Qvae ſi dodranti detrahatur, efficit aſſem *ſeptem unciis et dimidia* conſtantem, qvem ab imminuto pondere *ſeſcuncialem* vocat Alciatus. Hac lectione duce, permutationem Denariorum cum XVI. aſſibus, qvam ad ſecundam aſſium imminutionem pertinere non poſſe perſpexerat, ad tertiam retulit: ſed conjectura magis, qvam certa ratione praelucente. Qvod vel hinc patet, qvia hoc inventum nec defendere potuit, et non nihil illi admiſcuit, qvod cum illo conſiſtere non poteſt. Interim in Textu Pliniano, qvae luxata videbantur, ſedibus ſuis ita reſtituit:

Balb. ad Celſ. de aſſe.

Mox

(t) En totum viri ingenioſi ratiocinium. *Verum Reip. et aerarii majus lucrum fuit. Nam e Sextantariis aſſibus decem, qvi Denario argenteo prius permutabantur uno, cum vicenos conflavit aſſes unciales, deditqve pro argenteo Denario vetere, qvi ad Aerarium deferebatur, duntaxat ſedecim, qvaternos interim lucri fecit: deinde aucto novi argentei nummi pretio ad ſedecim aſſes, iterum ſenos: igitur denos omnino: hoc eſt, qvod Plinius ait, in ſingulos Denarios dimidium lucrata eſt, ſive Denarium unum.* In qvo gratis ſupponitur, denarium ante ſecundam aeris imminutionem X. *Sextantariis* permutatum fuiſſe. Nam illo tempore, qvo imminutio aeris intra *Sextantarios* ſubſtitit, de argenti pretio nondum qvicqvam erat definitum. Et ſi maxime fuiſſet, Respublica nova aſſium imminutione non dimidium, ſed alterum tantum (uti vocant) lucrifeciſſet.

Mox Lege Papiria ſeſcunciales Aſſes facti: placuitqve denarium XVI. Aſſibus permutari, qvinarium octonis, ſeſtertium qvaternis.

Qvid hac diſpoſitione pulchrius, qvid veritati ſimilius, qvid Reip. Romanae et Plinio laboranti ſalutarius? Hoc unum probare non poſſum, qvod Legem Papiriam, qva unciales in ſeſcunciales mutati ſunt, novo unius et dimidiae unciae detractu, *urgente neceſſitate* factam arbitratur.

VIII. Anteqvam ulterius progrediar, totam Alciati de aſſe doctrinam hic adponam: *Verba Plinii praepoſtere in ſermonis contextu poſita, crucem fixere Grammaticis, dum eorum intellectum neqveunt aſſeqvi. Nos ſic intelligendum arbitramur. Cum prius docuiſſet, Denarium decem aſſes valere, et qvatuor ſextarios nummos in Denario eſſe, primo bello Punico imminutum pondus tradit, et tum percuſſos fuiſſe aſſes dextantario pondere, id eſt, duabus unciis minus: unde et Sextantarii dicti ſunt, qvia Sextans illis deeſſet: ita qvinta parte facta lucri, diſſolutum eſt aes alienum. Duae enim unciae qvinta pars eſt Dextantis. Nec tamen magno detrimento populi affecti ſunt, ut Feſtus ſcribit, cum ſolum qvinta pars eis abeſſet. Unde conjicitur male, et contra Veterum codicum fidem, hunc locum ab his corrigi, qvi qvinqve partes, non qvintam partem legunt: Maximum enim damnum id eſſet, ſi pro duodenis ſolae binae unciae reſtituerentur. Poſtea Hannibale res in Italia gerente, facti ſunt unciales aſſes, ſic dicti, qvod alia uncia ultra ſextantem alias deminutum illis detracta eſſet. Ita Reſpublica dimidium lucrata eſt, ejus qvod dempto ſextante lucri faciebat. MOX URGENTE NECESSITATE Lege Papyriana ſecunciales facti ſunt, detractaqve etiam alia uncia ſemiſſ: qvo fit, ut pro duodecim ſolae ſeptem cum dimidia penderentur, qva ratione ſeqvebatur, ut ſextertius qvatuor aſſibus, denarius ſexdecim aeſtimaretur. Sic ergo legenda eſt illa clauſula, et in locum ſuum reſtituenda, qvod perverſum erat: Mox Lege Papyriana ſecunciales aſſes facti, placuitqve denarium ſedecim*

Alciat. loc. cit.

assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Tantum Alciatus. Qvi, si eadem diligentia tertiam aeris imminutionem, qva duas priores examinasset, haud dubie eam non *necessitate*, sed *ratione* et consilio factam deprehendisset. Contra NECESSITATEM militat *silentium Plinii*, et *natura Assis sescuncialis*, et *perennis Legis Papiriae obseruatio:* Pro RATIONE Vitruvius, et causa Legis haud improbabilis. Qvae nunc ordine exponam.

IX. Qvod necessitas non fuerit mater Legis Papiriae, nec ultimae assium mutationis, ex silentio Plinii manifestum est, qvi nullius necessitatis, nec lucri percepti mentionem facit, contra morem huc usqve a se observatum, qvem minime neglexisset, si aliqva necessitas huic legi ferendae, aut novo lucro qvaerendo, occasionem dedisset. Hoc silentium debuit suspectum videri Alciato, et multo magis sententiae vulgaris patronis, qvi uncias in dupondia, semuncias in asses mutant, et hac mutatione, cujus causam nullam ostendere possunt, nonsolum Rempublicam sine ulla necessitate affligunt, imo pessundant, sed etiam tantam perniciem, ne ulla salutis spes in posterum supersit, aeterna lege stabiliunt, qvasi nullum malum malignitati suae explendae satis magnum esset, nisi sit diuturnum. Nam hanc assium in semuncias mutationem inde a Lege Papiria ad Plinii usqve tempora perennasse volunt *(u)*. Qvo qvid dici potest a recta ratione et humanitate alienius? Sed mittamus hos Reip. eversores, et revertamur ad Alciatum, qvi, ne Roma sub tam gravi et toties iterata assium in pejus mutatione succumberet, asses *sescunciales* tanqvam temperamentum malorum invenit, optimo qvidem in cives proposito, sed in Legem injurio, qvam non ratione, sed *urgente necessitate*, hoc est, mali alicujus averruncandi et lucri captandi causa, latam esse existimavit. Qva in re illum deceptum esse, vel silentium Plinii demonstrat. X.

(u) Harduinus ad Legem Papiriam: *Dupondii igitur fuerunt unciales: nec leviores ii, assesve fuere, usqve ad Plinii tempora.*

X. Asses *Sescunciales* non urgente necessitate, nec laborante Republica, cusos esse, ipsi argumento sunt, qvia nullum inde lucrum ad aerarium redire poterat. Enim vero si aestimatio Denarii, Qvinarii, Sestertii, secundum asses *librarios*, cum aestimatione secundum asses *sescunciales* conferatur, aeqvales utrinqve summas accipimus, sic ut ne unius scrupuli lucro locus relictus sit.

Aestimatio vetus Denarii, Qvinarii, Sestertii, secundum asses librales (x).

Deni continent	120.	uncias.
Qvini - - - - -	60.	- -
Sestertius - - -	30.	- -
Summa unciarum	210.	

Aestimatio nova Denarii, Qvinarii, Sestertii, secundum asses sescunciales (y).

Sedecim continent	120.	uncias.
Octoni - - - - -	60.	- -
Qvaterni - - - -	30.	- -
Summa unciarum	210.	

Haec mathematicam habent evidentiam, et nonsolum probant id, qvod subobscure vidit Alciatus, Historiam Plinii monetalem mendosam et luxatam esse, sed etiam hoc, qvod nullatenus vidit, Legem Papiriam nulla cogente necessitate, nullo privatorum

(x) Plinius: *Placuit Denarium pro decem libris aeris esse, Qvinarium pro qvinqve, Sestertium pro dupondio ac semisse.*

(y) Plinius: *Placuit Denarium XVI. assibus permutari, Qvinarium octonis, Sestertium qvaternis.* Meminisse autem debemus (qvod jam supra §. 7. monitum) in asse *sescunciali* supponi 7 ½ uncias.

vatorum detrimento, ſed alias ob cauſas latam eſſe, qvamvis a Plinio brevitatis ſtudio praeteritas.

XI. Porro, ſi Lex Papiria *de aſſibus ſeſcuncialibus* calamitoſo Reip. tempore rogata fuiſſet, nonne ceſſantibus cauſis, et rebus ex voto florentibus, rurſus fuiſſet abrogata? Atqvi Lex Papiria nunqvam fuit mutata, ſed potius ſemper tanqvam conſtans et ſtata Monetae regulâ obſervata, non ſolum ſub Conſulari, ſed etiam Caeſariano imperio. Teſtes perpetuitatis habeo duos, unum ex ſaeculo Auguſti, *Vitruvium*, alterum ex ſaeculo Antonii Pii, *Voluſium Maecianum*, qvorum verba hic ſubjiciam. Vitruvius Lib. III. cap. I. *Noſtri PRIMO Decem fecerunt, antiqvum numerum, et in Denario denos aereos aſſes conſtituerunt, et ea re compoſitio nummi ad hodiernum diem Denarii nomen retinet; etiamqve qvartam ejus partem, qvod efficiebatur ex duobus aſſibus et tertio ſemiſſe, ſeſtertium nominaverunt. POSTEA, qvoniam animadverterunt, utrosqve numeros eſſe perfectos, et Sex et Decem, utrosqve in unum conjecerunt, et fecerunt perfectiſſimum Decuſſiſexis.* Id eſt, Sedecenarium, ſeu Denarium ſedecim aſſibus pemutandum. Clariora ſunt Maeciani verba in Diſtributione Aſſis: *Denarius PRIMO aſſes decem valebat, unde et nomen traxit. Qvinarius dimidium ejus, id eſt, qvinque aſſes, unde et ipſe vocatur. Seſtertius duos aſſes et ſemiſſem, quaſi ſemis tertius, Graeca figura* ἕβδομον ἡμιτάλαντον. *Nam ſex talenta et ſemitalentum eo verbo ſignificantur. Lex etiam XII. Tabularum argumento eſt, in qvo duo pedes et ſemis Seſtertius pes vocatur. NUNC Denarius ſedecim, Victoriatus et Quinarius octo, ſeſtertius quatuor Aſſes valet.* Harduinus utriusqve auctoris verba ad *unciales* Plinii trahit, qvos tunc ſuperfuiſſe exiſtimat. Qvod ſi verum eſt, oportet tunc argentum ad tantam vilitatem redactum fuiſſe, ut idem Denarius, qvi ſub aere gravi X. aſſes, hoc eſt, 120. uncias valebat, ſub aſſibus uncialibus XVI. tantum uncias aeris valeret. Verum cum hoc ſine manifeſta abſurditate admitti non poſſit, et alias longe probabilius ſit, argento antiqvum pretium ſervatum eſſe,

ſeqvi-

ſeqvitur, Denarium non aliam ob cauſam XVI. aſſibus permutatum eſſe, qvam qvod XVI. aſſes X. aſſibus libralibus aeqvales eſſent. At hoc ipſum intelligi neqvit, niſi Aſſes ultimae imminutionis, Lege Papiria ſtabiliti, fuerint *ſescunciales*, et ab uſu illius temporis, de qvo qvaerimus, recepti. Non jam inqviram, qvo jure Harduinus Vitruvii et Maeciani aevo aſſes *unciales* imputare potuerit, cum in ſententia ejus aſſes *unciales* ſint aſſes Lege Papiria antiqvati, et in *ſemunciales* mutati. Nam in hac hypotheſi fieri non poterat, ut illo aevo alii aſſes qvam *ſemunciales* ſupereſſent. Et hos qvidem Plinii aevo ſuperfuiſſe, alio in loco, ſicut ſupra oſtendi, affirmat (z). Aut igitur aſſes diverſi generis et valoris eodem tempore ſimul ſuperfuiſſe credidit, aut, qvod veriſimilius, ſibi ipſe non ſatis conſtat. Viderint alii, qvid de ſyſtemate tam perplexo et tot contradictionibus ſcatente, ſtatuendum ſit. Mihi ſuffieit, oſtendiſſe, qvod illo aevo, qvo Vitruvius et Maecianus ſcripſerunt, aliud genus aeris qvam *ſeſcunciale* ſuperfuiſſe, ſalvo argenti pretio antiqvo, affirmari non poſſit.

XII. Dixi, ultimam aſſium mutationem, non *neceſſitate*, ſed *ratione* et conſilio factam eſſe. De priori jam ſatis dictum. Poſterius ex verbis Vitruvii tam luculentum eſt, ut alio indice non opus habeat. *Cum animadverterent*, inqvit, *SEX et DECEM eſſe perfectos numeros, utrumqve in unum numerum conjecerunt.* An haec ratio ſuffieiens ſit, poſtea inqviram. Pone vero eam, qvantum valueris, inſufficientem et frivolam eſſe, ratio tamen eſt, qvae cauſam, qvare deni aſſes in ſedecim mutati ſunt, ex perfectione numerorum reddere conatur. Et ne qvis forte putet, me nimis perſpicacem eſſe, et in verbis Vitruvii aliqvid cernere, qvod illis non ineſt, Budaeum excitabo, qvi idem animadvertit: *Plinii verbis ſignificatur propter pecuniae penuriam factum eſſe, ut Denarius XVI. aſſibus permutetur: et tamen Vitruvius ratione id dicit, non neceſſitate factum, et ſuo etiam tempore*

(z) Vide retro §. 9. in notula.

pore, id est, sub Augusto, Denarium sedecim asses valuisse (a). Haec una ratio tam valida est, ut, etiamsi nullae aliae superessent, nonsolum opinionem Alciati, de urgente necessitate ultimi assis inventrice, sed etiam totum systema vulgare de assibus imminutis funditus everteret.

XIII. Restat, ut qvando, et qvamobrem, et qva occasione lata sit *Lex Papiria*, adhuc breviter ostendamus, ne qvid desiderari posse videatur. Bellum Punicum primum incidit in annum Urbis 489. Hoc flagrante, cum Respublica impensis non sufficeret, et aliud remedium reparandis Aerarii viribus exhaustis non occurreret, ex Assibus librariis conflatis cusi sunt asses *Sextantarii* usqve ad annum 535. qvo bellum Punicum, qvod superioribus annis pace facta *(b)* sopitum erat, rursus exarsit. Post Cladem Cannensem *(c)*, Populus Romanus, ut laboranti aerario denuo succurreret, omne aurum, argentum, aesqve signatum voluntaria collatione ad Treviros monetales detulit. Ex qvo aere (erat autem aes sextantarium) rursus conflato cusi sunt asses *unciales* usqve ad an. 574. qvo Respublica ab omnibus debitis liberata est. Cessante necessitate, aeqvum erat, populum diu pressum ab assibus imminutis liberari, et pondere aeris redintegrato, asses in pristinum statum restitui, et aes leve penitus exauctorari. Verum cum Asses antiqvi seu librales parva et vilia mercantibus mole sua incommodi essent, asses *sescunciales*, qvorum XVI. denis assibus librariis aeqviparantur, inventi sunt tanqvam temperamentum, qvo aeqvitas et commoditas conjungi possent. Anno igitur seqventi, hoc est, an. 575. *Lex Papiria* lata est, *C. Papirio Turdo Tribuno plebis* postulante, mandatumqve, ut asses *Sescunciales* ex uncialibus, qvi tunc soli resta-

(*a*) Gvil. Budaeus Lib. V. de asse, pag. 579. inter Scriptores Historiae Rei nummariae veteris, edente Adamo Rechenbergio, Lipsiae 1692.

(*b*) Bellum Punicum primum duravit XXIII. annis, anno vigesimo qvarto finis Bello impositus, id est, anno Urbis 512.

(*c*) Clades Cannensis refertur ad an. 536.

reſtabant, ferirentur, nova qvidem ponderis imminutione, ſed nemini damnoſa. Nam qvod ponderi detractum, numero compenſatum eſt. Et hos aſſes Roma in uſu ſempiterno eſſe voluit. Legem Papiriam hoc anno latam eſſe, docuit me Steph. Vinandus Pighius in excellenti Opere Annalium Romanorum Tomo Secundo. *Pag. 343.*

XIV. Verum, cum hic finis, ut aeqvitas et commoditas in uno nummo convenirent, multis modis obtineri poſſet, ratio adhuc reddenda eſt, cur X. aſſes in XVI. mutari placuit? Vitruvius, qvem paulo ante citavi, videtur cauſam mutati ponderis in numeros rejicere. *Cum animadverterent*, inqvit, *SEX et DECEM eſſe perfectos numeros, utrumqve in unum conjecerunt.* Eqvidem DECEM, ut ex digitis cognoſcimus, eſt numerus a natura inſtitutus, et ex partibus 1. 2. 3. 4. qvae collectae decem efficiunt, compoſitus. Et talem qvoqve eſſe SENARIUM, ex figura ſolida Qvadrati, qvae a natura ſex habet facies, et ex partibus 1. 2. 3. qvae nonſolum ſimul junctae, ſed etiam ſingulae ſenarium implent, ſi unum ſexies, duo ter, tria bis ſumantur, intelligimus. Et hactenus uterqve numerus ſecundum Philoſophos eſt perfectus *(d)*. Sed vereor, ut multis ridiculus viderer, ſi auctoritate Vitruvii demonſtrare vellem, Senatum Rom. tam Pythagoricum fuiſſe, ut ex praeſcripto numerorum Leges ſuas ordinaret. Majori forſan veritatis ſpecie aliqvis conjecerit, novam illam ponderis mutationem, Lege Papiria ſtabilitam, in honorem Deorum monetalium, *Junonis* et *Vulcani*, duce religione ſuſceptam eſſe. Nam SEDECIM eſt numerus ex *Diade* et *Octade* per multiplicationem productus. Et ſicut *Dias* ab antiqvo Junoni, ita *Octas* Vulcano ſacra fuit. Teſtis Martianus Capella in Arithmetica: *Octonarius numerus primus cubus eſt, et perfectus, VULCANO dicatus. Nam ex primo motu, id eſt, Diade, qvae JUNO eſt, conſtat.* Sed haec qvoqve *Supra §. 11. et 12.*

(*d*) Martianus Capella de Arithmetica Lib. 7. *Numeri perfecti ſunt, qvi partibus ſuis pares ſunt.*

qve ratio nimis abſtruſa et a ſenſu remota videtur. Qvotusqvisqve enim eſt, cui de myſteriis numerorum, aut eorum cum Diis nexu, certi aliqvid cognitum aut perſpectum eſſe poſſit? Hinc ſuſpicor, cauſam placiti magis civilem, magisqve popularem fuiſſe, et fortaſſe hanc, qvod ad decus Civitatis et publicae adminiſtrationis, qvam Politiam vocamus, pertinere videbatur, ut in poſterum menſurae ponderum monetalium cum menſuris aliarum rerum in diſtributione partium convenirent, hoc eſt, ut qvemadmodum PES ROMANUS habet XVI. digitos, VIII. ſeſcuncias; IV. palmos *(e)*: ita DENARIUS in poſterum haberet *ſedecim* Aſſes, Qvinarius *octo*, Seſtertius *qvatuor*. Ad hoc principium, ceu fontem mutationis, nos ipſe ducit Vitruvius in proxime ſeqventibus verbis: *Hujus autem rei AUCTOREM invenerunt PEDEM. E cubito enim cum dempti ſunt palmi duo, relinqvitur pes qvatuor palmorum. Palmus autem habet qvatuor digitos: ita efficitur UTI HABEAT PES SEXDECIM DIGITOS, ET TOTIDEM ASSES AEREOS DENARIUS.*

XV. Vidimus, in qvot Aſſes minores et leviores Aſſis antiqvus partim neceſſitate partim conſilio et ratione reductus fuerit. Nunc ut etiam diſtributionem horum Aſſium in ſuos Qvadrantes et Trientes videamus, convenit. Qvamvis enim cognito toto partes cognoſcere pronum ſit, puto tamen me rem haud ingratam Curioſis facturum, ſi calculum hic ſubjiciam, ut eo facilius opes ſuas aereas, ſi qvas habent in Muſeis ſuis, aeſtimare, lance examinare, et ex pondere claſſem, ad qvam ſpectant, dijudicare poſſint.

SEXTANTARIUS habet 10. Uncias. Hujus in *Qvadrante* ſunt 2. Unciae et una dimidia; in *Triente* 3. Unciae et 2. Sextulae.

UNCIA-

(e) Matthaeus Hoſtus Lib. III. de Menſ. Pond. et Interval. cap. 2. *Qvarta menſura eſt Pes: qvae palmos habet qvatuor, ſeſcuncias octo, uncias duodecim, digitos ſedecim, ut eſt apud Frontinum. In has enim partes aeqvales Romani ſuum pedem partiuntur.*

UNCIALIS habet 9. Uncias. Hujus in *Qvadrante* sunt 2. Unciae et unus Sicilicus; in *Triente* 3. Unciae.

SESCUNCIALIS habet 7½ Uncias. Hujus in *Qvadrante* sunt una uncia cum dimidia et 3. drachmae; in *Triente* 2. Unciae cum dimidia.

XVI. PRIMUM CONSECTARIUM horum ponderum est, qvod omnes nostri Aerei nummi, nota Assis vel partium Assis insigniti, si lance examinati, multo, qvam intertrimentum, aerugo, aut edacitas longi temporis ferat, leviores deprehendantur, vel non sint Asses Romani *(f)*, vel infra aetatem Plinii et Maeciani excusi. Qvod ne temere dixisse videar, Historiam medii aevi in subsidium opinionis vocabo. Nam sine Historia pondera nummorum nos non ducunt, sed seducunt, tandemqve omnem pecuniae Romanae aestimationem incertam irritamqve reddunt. Nota est omnium Gentium ad liberandum Orbem sub Antoninis conspiratio, malum bello Punico longe terribilius. Qvo tempore monetam Romanam imminutam fuisse, etiamsi forte nusqvam legamus, credibile tamen reddit, cum magnitudo periculi instantis, tum ipsius Monetae, post Antoninos excusae, et silentium Historiae feliciter supplentis testimonium. In nummis Aereis *Sev. Alexandri* leguntur seqventia elogia: RESTITVTOR. MON. S. C. cum figura dextram protendente: et MONETA. RESTITVTA. S. C. cum figura bilancen tenente. Qvod genus laudis, cum sit novum (nam in nummis priorum Imperatorum non reperitur) et jussu Senatus Alexandro tributum, nemo prudens inter vanas solitasqve Monetariorum adulationes numerabit. Oportet ergo Monetam Romanam ab antecedentibus Imperatoribus insignem mutationem perpessam esse, nonsolum in auro et argento, auctore *Caracalla (g)*, sed etiam in Aere, qvamvis auctoribus ab Historia

Apud Mediobarb. in Num. Impp. pag. 321. 322.

(*f*) De Assibus non-Romanis videbimus infra §. 28. 29.

(*g*) Excerpta Valesiana ex Dione pag. 751. de Antonino Caracalla; *Germanis aurum*

ſtoria non nominatis. Qvod vel hinc patet, qvia Moneta, qvae hic loqvitur, et reſtitutorem ſuum Alexandrum praedicat, non ex auro vel argento, ſed ex aere fabricata eſt: manifeſto vilitatis ſuae ante reſtitutionem indicio. Facta autem eſt haec Aeris reſtitutio ſecundum calculum Mediobarbi A. U. C. 979. Chriſti 226. Video qvidem a multis viris doctis dubitari, an ulli amplius aſſes ſub Imperatoribus cuſi fuerint: ſed huic dubitationi poſtea occurram in fine opuſculi.

XVII. ALTERUM CONSECTARIUM eſt, qvod omnes nummi noſtri Aerei, nota Aſſis vel partium Aſſis inſigniti, et nomine vel cognomine alicujus Familiae Rom. inſcripti, ſi nimia levitate laborent, vel ſint ſuſpecti, vel indebitis ſignis affecti. Hujus generis ſunt leves illi et minuti, qvi TURDI nomine circumferuntur: ſed ideo ſuſpecti, qvia nondum ſatis leves, ut Turdo tribui poſſint, qvem Lege Papiria *Aſſes ſemunciales* induxiſſe fingunt. Qvod ſi feciſſet, Aſſes ejus non unam aut duas uncias aeqvarent, ſed dimidiam tantum. Hujusmodi Aſſes, qvi auctoribus illis, qvorum nomina prae ſe ferunt, convenire non poſſunt, inveniet qvam plurimos, qvi nummos *Familiarum* ſcrutari voluerit. Norunt etiam eruditi, qvod a monetariis ſive feſtinatione ſive oſcitantia ſaepe errores in ſignis committantur. Qvo fit, ut aſſis, qvi nunqvam fuit, a falſo ſigno auctoramentum accipiat. Talem in Gente *Numitoria* deprehendit clariſſ. Havercampius, cui ſignum Aſſis appoſitum, qvod abeſſe debebat.

V. Theſ. Morell. in Famil. Papiria.

Loc. cit. Tom. II. pag. 298.

XVIII. Haec eſt opinor melior et probabilior NARRATIONIS PLINIANAE DE ASSIBUS IMMINUTIS EXPOSITIO, cui, ſi pondus Aſſium ſuperantium reſpondeat, ad perfectam pulcritudinem nihil deeſſe videtur. Spero autem reſponſurum, ſi modo docti libripendes prius noſtra meditata, qvam

aurum purum putum donabat; cum Romanis non niſi adulteratum aurum et argentum praeberet. Si qvidem pro argento plumbum argentea tectum bractea, pro auro aes ſubauratum ſupponebat.

qvam nummos ſuos, ponderare dignentur. Non eqvidem ignoro, celebres eſſe viros, et in moneta antiqva verſatiſſimos, qvi ſaltum committi a Plinio, et imminutionem Aſſium non tribus, ſed pluribus gradibus factam exiſtiment. Qvos inter primo loco mihi nominandus eſt *Claudius Buterovius*, auctor rarus et illuſtris, cujus verba, qvia non Latina, ſed Gallica lingva concepta ſunt, infra apponam *(b)*. Hunc ſeqvitur R. P. *Vitryus*, vir doctus e Jeſuitarum Familia, qvi, qvam male conveniat vulgari doctrinae (de ſubita Aſſis libralis in Sextantem mutatione) cum reliqviis Aſſium, libra examinatis, plus qvam LXXX. exemplis oſtendere conatus eſt. Idemqve ſibi noviſſime ex uno vel altero *Muſei Granelliani* nummo demonſtrare propoſuit R. P. *Frölichius*, in parvae molis, ſed pulchrae eruditionis libello, qvem *Animadverſiones* vocat. Verum et hi, qvamvis in hoc ſtudii genere valde periti, dum perturbationem Reip. qvae inſtitutum tam ſubitum et praeceps ſeqvi debuit, evitare ſtudent, Rempublicam gradibus ſuis non ſervant, ſed lenta morte, qvantum in ipſis eſt, interficiunt. Et tametſi multum operae in gradibus illis inveſtigandis inſumpſerint, dubitari tamen poteſt, an ullum opinionis ſuae praeſidium ſatis firmum in pondere invenerint, cum qvia non omnes Aerei nummi ſunt Aſſes Romani, nec omnes Aſſes leviores bello Punico aeqvaevi, tum qvia tot Saeculorum decurſus magnam in pondere mutationem facere potuit.

Memoires de Trevoux 1729. Juillet, pag. 1262. ſeqq.

XIX. Aſſes a doctiſſ. *Vitryo* adducti, partim etiam depicti, magna ex parte ita ſunt comparati, ut alio imminutionis genere,

ad

(*b*) Claude Boûterouë, Conſeiller en la Cour des Monoyes dans les Recherches curieuſes des Monoyes de France, page 87. *J'ay peine à ſuivre leur opinion, et on me pardonnera, ſi je ſuis d'un ſentiment contraire. Outre qu' il n'y a point d'exemples, que jamais un grand affoibliſſement de Monoye ait eſté fait autrement que par degréz, et petit à petit, afin que la perte n'en fuſt pas ſi ſenſible, tous les Cabinets de Curieux ſont remplis de preuves irreprochables, que l' As n' a pas eſté reduit d' une livre a deux onces, ſans paſſer par les diminutions, qui ſont entre deux.*

ad qvod reducantur, praeter trinum illud, a nobis propositum explicatumqve, non opus habere videantur, etiamsi forte pondus non semper exacte (qvod nec fieri potest, nec desiderari debet) respondeat. Reliqvi, tam pondere qvam figuris testantur, se aliud genus aeris esse, ab Assibus Romanis diversum, et cum illo non confundendum, prout infra demonstrabitur. Et ab hoc numero ne *Janos* qvidem viri docti excipimus. Nam hujus effigie bifronti nonsolum Romanos, sed etiam Graeciae, Siciliae, et Italiae Civitates, aera sua signare consuevisse, testis Athenaeus *(i)*.

Infra §. 26. 25. 29.

XX. Qvod attinet ad Asses *Musei Granelliani*, operae pretium est, pondus singulorum referre, et cum nostris Assibus et Consectariis contendere.

Animadvers. pag. 59.

Assem bene magnum tenemus, ex cuius una parte Jani bifrontis imago, cum solito signo Assis, ex altera Mercurii caput, et culter incurvus. Appendit hic As novem unciis paullo amplius, cum tamen foramine pertusus, et arrosus vetustate sit; merito unam circiter unciam, una cum excessu illo supra novem, eidem attribuo: atqve adeo As tum decem unciarum erat. Sit ita. Fuit ergo ab initio *Assis Sextantariùs* dextantario pondere.

Comprobat id Semis, qvi una in facie navim, in altera caput Jovis refert, et literam S. Is nummus omnino integer, qvinqve duntaxat uncias qvam proxime exaeqvat. Proxime nimis abest a semisse superioris Sextantarii. Malim cum inter semisses *Assis libralis* collocare.

Deinde Quadrantem expendi, qvi caput Junonis Sospitae et OOO *una ex parte, ex alia bovem currentem cum serpente, et epigraphe*

(*i*) Athenaeus Lib. XV. pag 692. de Jano nummi aerei et navis inventore: *Qva de causa Civitates in Graecia multae, Italia, et Sicilia, monetam cudunt impressa bicipiti facie, et ex altera parte vel rate, vel navigio, vel corona.* Janum in oppido Siciliae *Alaesa* excusum cum monogrammate Æ. vide in Sicilia Numismatica Havercampii Tab. CXII. et CLXIII. Si qvaeratur, unde Janus in nummis Siculis? Responderi potest, a coloniis, qvae ex Latio in Siciliam transfretarunt.

graphe ROMA refert; is unciam unam cum dimidia fere ponderabat. Cum igitur Qvadrans esset, seu tres uncias conficeret, qvater sumptus sex uncias conficit; As ergo tunc ad semissem, seu sex uncias imminutus erat. Ex simili Qvadrante eandem conclusionem elicit *Vitryus*, imo etiam *Buterovius*, sed minime necessariam. Nam primaeva ejus gravitas potuit fuisse unius unciae cum semuncia et tribus drachmis. Et hoc pondus qvater sumptum efficit *Assis Sescuncialis* justum Qvadrantem.

Contestantur hoc ipsum duo Sextantes, qvorum alteri Lupa cum Romulo et Remo, et avis, botrum rostro gerens: alteri Mercurii caput, et navis cum nomine ROMA, insculpta sunt, una cum signis in utraqve nummi facie OO. duarum unciarum. Nummi ambo unciam proxime appendunt; igitur sexies sumpti, Assem ad Semissis seu sex unciarum pondus redactum produnt. Uterqve nummus ab initio unam unciam et duas drachmas aeqvavit, et haud dubie fuit *Assis Sescuncialis* Sextans.

Examinatus item est As, qvi una in facie Janum, in altera navim cum nota Assis, offert; pondus ejusdem paullo levius tribus unciis offendi. Eo igitur tempore ad tres uncias As redactus est. Fuisse aliqvando tempus, cum Asses Sescunciales Lege Papiria stabiliti, et perpetuo Reip. usu probati, de pristino pondere ad incredibilem levitatem paullatim redacti fuerint, et tales Asses etiamnum superare, absit ut negare praesumam. Vidi qvam plures, diversae magnitudinis et varii ponderis. Sed, ut eos Belli Punici tempestate, et stante adhuc Rep. excusos credam, nihil in illis, qvod me compellat, deprehendere potui. Ex adverso multa me cogunt, ut Asses illos neqvissimos in inferiora tempora, qvando res Romana sub Antoninis inclinari et in pejus ruere coepit, rejiciam.

Cui suffragatur Sextans, Capite Mercurii et Navi signatus, cum epigraphe ROMA, et utrimqve OO. Appendit hic nummus fere semunciam; sexies igitur acceptus Assem trium unciarum explet. Dantur etiam Sextantes multo leviores, qvi, qvo sunt minores et deteriores, eo magis cruciant eruditos. Nos illis oppor-

Supra §. 16. opportunum tempus jam adſignavimus in *Conſectario primo*, ut neceſſe non ſit, illis longius detineri, praeſertim cum in ſe ſpectati nullum majoris antiqvitatis de ſe indicium praebeant.

XXI. Pondus Aſſium nos longius abduxit a *primaevae imminutionis* conſideratione. Neceſſe igitur eſt, ut eo, unde digreſſi ſumus, revertamur, et qvae de Aſſibus imminutis primi generis adhuc dicenda reſtant, duce Plinio abſolvamus. Differunt autem Aſſes illi a *libralibus*, non pondere tantum, ſed etiam, ut par eſt, effigie. Nam mutato aeris antiqvi pondere, ſignum qvoqve impreſſum mutari conveniebat. Itaqve novi aſſes non amplius pecude ab utraqve parte, ut priores, ſed hinc capite Jani bifrontis, inde navigio vel rate ſignabantur. *Nota aeris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera roſtrum navis: in Triente vero et Qvàdrante rates.* Haec prima Jani in aere ſignati aetas, bello qvidem Punico aeqvalis, ſed Servio longe poſterior, qvi nullius Dei aut hominis caput, ne ſuum qvidem, nec ullius navis, ſed animalium tantum formas in nummis ſuis expreſſit, ſicut ante oſtenſum *(k)*.

XXII. Cauſa ſigni, qvae ab initio nemini ignota fuit, progreſſu temporis in oblivionem venit. Inde factum, ut multi hoc genus aeris ab ipſo Jano vel regni ejus ſocio Saturno percuſſum crederent. Qvorum diſcordes ſententias ita conciliavit *Valentius*, ut nihil poſteritati niſi imitationem vel reſtitutionem iſtius nummi relinqvere videatur. Nam ſimilem nummum gemino Jano ſignatum explicaturus, hanc typi rationem reddit, *qvod Janus pecuniam primus ſignaverit, Saturnus cudere docuerit.* Auctores, qvi ſimilia tradiderunt, ſunt *Athenaeus*, *Tertullianus*, *Macrobius*, aliiqve a Spanhemio excitati, omnes Plinio inferiores: Qvorum credulitas neſcio an argumentum ſatis firmum ſit, *ut inde*, prout illuſtri viro viſum fuit, *de vetuſtate ſignati id genus aeris, qvod in Italia, et qvidem in Hetruria ac Latio fuerit Servio Tullio ac ipſo Numa antiqvius, liceat omnino ſtatuere.* Nam per

In Fam. Poſtumia num. 3.

Spanh. Tom. I. Diſſ. 1. pag. 20.

(*k*) Supra Cap. IX. §. 10.

per hiſtoriam monetae Romanae Plinianam, qvae certe majorem in hoc argumento fidem qvam juniores Scriptores meretur, tantam huic generi aeris vetuſtatem tribuere non licet, qvia cauſa ſignandi fuit Aſſium mutatio, cauſa valde probabilis, ſed nova, et Servio atqve Numa non uno ſaeculo inferior. Et tametſi jam Auguſti aevo dubitatum ſit, qvae ratio moverit Majores, bello Punico implicitos, cur has potius notas qvam alias Aſſibus ſuis imprimerent, ut ex Qvaeſtione ea de re Jano ab Ovidio propoſita liqvet, *Faſt. I. v. 229.*

Multa qvidem didici, ſed cur navalis in aere
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

Certum tamen eſt, neminem tunc de novitate ſigni dubitaſſe. Id qvod etiam ex reſponſo, qvod ſibi a Deo datum Poëta ſimulat, manifeſtum eſt,

At bona POSTERITAS puppim ſignavit in aere,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Etiamſi hoc oraculum ea parte, qva puppim reſpicit, haud veridicum ſit.

XXIII. Forma navalis, qvam in aſſe conſpicimus, non eſt *navigium Saturni*, etiamſi Janus apud Poëtam hoc dicat:

Cauſa ratis ſupereſt, Tuſcum rate venit in amnem,
Ante pererrato falcifer orbe Deus:

Nam hujus itineris adventusqve in Italia memoriam hic renovari, nihil ad rem praeſentem attinebat: Sed inſigne ipſius *Romae*, urbis ad Tiberim ſitae. Placuit autem hoc ſignum loco pecoris inſculpi, quia navigium ab antiqvo eſt Symbolum omnium locorum, qvae mari dominantur, ſive ſitu et proximitate, ut Inſulae et Urbes maritimae, ſive imperio ad mare prolato, ut Urbes terreſtres, qvae magnos habent fluvios, magnisqve navibus meabiles, et in mare exeuntes. Qvalis omnino erat *Roma*:

S qvae

qvae poſtqvam Coloniam ad oſtia Tiberis deduxit (qvod pridem ſub Rege Anco Marcio factum), nunqvam ſine portu, nec ſine navali, nec ſine claſſe fuit, minime vero tunc, cum hos Aſſes roſtro navis ſignaret. Tunc enim C. Duillius Conſul inſignem de claſſe Carthaginienſium victoriam obtinuit, et primum navalem Triumphum Romae egit, Anno Urbis CCCCXCIII. belli Punici primi et Aſſis imminuti qvinto. Cujus Victoriae memoria diu ſuperfuit Romae in Columna roſtrata, tanto magis admirandae, qvod Romani tunc nondum noverant triremes, et in arte navigandi adhuc tyrones erant. Hoc ſignum Plinius roſtrum navis, alii proram, alii puppim vocant. Sed qvodcunqve nomen illi imponas, certe ab initio fuit inſigne ipſius *Romae*, et rerum Romanarum ad navigationem ſpectantium, claſſis, expeditionis maritimae, et rei nauticae in genere. Et hinc etiam interpretationem accipiunt qvam plures Romanorum nummi, proris inſigniti. Si duae vel tres prorae juxta ſe poſitae conſpiciantur, tunc expeditionem navalem, ſi laurea prorae jungatur, aut victoriola prorae inſiſtat, aut deſuper volitet, tunc claſſem victricem ſignificant. Et ſic prora in nummis Romanorum ubiqve reſpicit ad Romam et res Romanas, nunqvam ad navem aut adventum Saturni. Credibile etiam eſt, Romanos hoc ſigno in Aſſibus eo libentius uſos eſſe, qvo magis inviſum et deteſtabile erat Poenis, qvi, ut Romanos a libero maris uſu excluderent, omnes vires intendebant. Notum eſt juramentum imperatoris Poeni, ſe non permiſſurum, ut qvisqvam Romanorum aqva marina manus ablueret.

XXIV. Vertamus nunc aſſem, et videamus, qvae cauſa formae bicipitis fuerit? Cum navigium, uti vidimus, ſit inſigne ipſius Urbis, conveniens erat, hac ſuperficie Capita *Conditorum Urbis* repraeſentari. Nam vultus conditorum in nummis exprimere, moris antiqviſſimi eſt *(l)*. Qvem Magiſtratus, qvi tunc aeri flando feriendoqve præerant, imitari voluiſſe, credibile eſt,

(l) Vide Spanhem. Tom. I. Diſſert. IX. pag. 561.

eſt, qvod hac ratione inter figuras utriusqve partis tam pulchre conveniat, ut ſe mutuo explicare videantur. Fuiſſe autem Janum et Saturnum opinione Romanorum Conditores Urbis, teſtis Maro:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit Urbem,
Janiculumqve illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Qvod ſi porro conſideremus, qvod tunc Bellum contra Poenos et inopia Aerarii Remp. valde ſollicitam tenebant, fatebimur, nihil ab ingenio humano excogitari potuiſſe tempori et loco et ſtatui publico convenientius, qvam horum Deorum in eodem nummo conjunctio, qvorum alter belli portis, qvae tunc patebant, alter aerario, ubi novi aſſes excudebantur, praeſidebat. Hoc eſt, ni fallor, qvod *Janum geminum* vocant, non qvod natura fuerit biceps, ut Athenaeus nugatur *(m)*, ſed qvod poſteritas, cum eum inter Deos referret, hunc illi honorem cum Saturno, cum qvo regnavit, communem eſſe voluit. Cui rei ſignificandae unum caput non ſufficere videbatur, praeſertim inter Romanos, qvibus bicipites Regum Deorumqve formae haud inuſitatae nec deformes erant *(n)*. Itaqve ut populus in uno ſimulacro et Janum Regem et ſuſceptum in regni ſocietatem Saturnum, et ſummam eorum in regno concordiam, et maxima ab his regibus ac melioris vitae ducibus accepta beneficia, contemplari ac venerari poſſet, Janum bifrontem eſſe voluit, et in eadem ſtatua cum Saturno conjunctum. Addita ſunt Capiti qvaedam benefactorum ſymbola, tanqvam ornamenta, remus et

S 2 coro-

(m) Athenaeus Lib. XV. p. 692. *Janum fama eſt bifrontem fuiſſe, altera facie poſteriori, anteriore altera.*

(n) Servius Aen. XII, verſ. 198. *Poſtquam Romulus et Titus Tatius in foedera convenerunt, Jano ſimulacrum duplicis frontis effectum eſt, quaſi ad imaginem duorum populorum.* Quae verba vel nullum habent ſenſum, vel hunc, quod ſimulacrum duplici fronte ad imaginem Romuli et Tatii effictum, Jano ceu foederum Deo dedicatum ſit. Capita Herculis et Mercurii occipitibus juncta occurrunt in nummis Gentis *Rubriae*, apud Morell. in Theſ.

corona, modo laurea, modo ſpicea, modo vallaris. Qvarum ultima, qvae vetuſtiſſimam urbes palis muniendi rationem ante oculos ponit, manifeſto Saturni reverentiam ſervat, qvi Janum urbes depalare docuit. Qvod ex Tertulliano et Macrobio ad nummum aereum Gentis *Tituriae*, in qvo caput Jani palis ornatum conſpicitur, primus obſervavit *Havercampius*, cujus ſingularem in explicandis antiqvitatibus ſolertiam et divinandi felicitatem ſaepe admiror, qva, ſicut olim in nummis Siculis alios, ita noviſſime in nummis Familiarum ſe ipſum ſuperavit. Omitto Sacra iſtorum Regum apud Romanos, et conjunctos Sacrorum Menſes, bicipiti imagini qvam ſimillimos. Nam poſt Saturnalia ſtatim principium anni celebrabant, et hae feſtivitates ita erant conterminae, ut, ſive Saturnus veterem annum finiret, ſive Janus novum inchoaret, alter alterius tergo adhaerere videretur.

Theſ. Morell. Tom. II. pag. 420.

XXV. Si qvis tamen malit *Janum geminum* ita interpretari, ut Saturnus a duplici fronte plane excludatur, per me licet. Nam de iis rebus, qvae diverſis modis concipi poſſunt, et a natura nullam habent determinatam veritatem, etiamſi aliae aliis probabilius dicantur, cum nemine unqvam, nedum cum doctiore aut magis perito, litigabo. Sed in *Conſectariis*, qvae vel ex pondere aſſium, vel ex figuris reſultant, et magnam in diſcernendo aere utilitatem habent, tam facilem me praebere non poſſum: non qvod ingenium mihi a natura ferox, aut opinionum ſuarum ſupra modum amans ſit, ſed qvod ea, qvae ſponte fluunt ex ante ſtabilitis, et cum illis ita cohaerent, ut divelli non poſſe videantur, ſalvis illis nec ignorare nec mutare poſſim. Horum duo vidimus ſupra, *ex pondere Aſſium* legitime deducta. Reſtat, ut alia duo videamus, qvae *ex figuris Aſſium* ſponte ſe offerunt.

Supra §. 16. 18.

XXVI. PRIMUM CONSECTARIUM eſt, qvod omnes Aſſes capite *Jovis*, *Mercurii*, *Martis*, *Herculis*, *Junonis*, *Cereris*, *Minervae*, aliorumqve Deorum Dearumve capitibus inſigniti, etiamſi ex altera parte navigium et nomen ROMAE adſcriptum habe-

habeant, Bello Punico inferiores ſint, cujuscunqve ſint ponderis aut magnitudinis. Nam hic mos ſignandi Aſſes per alios Deos qvam Urbis conditores, et nomine Urbis adſcripto, cum ſit diverſus ab eo, qvem Plinius hic deſcribit, neceſſario recentior intelligitur. Qvod obſervandum contra eos, qvi nulla temporis habita ratione Aſſes ponderant, et ex pondere poſteriorum priores judicare praeſumunt.

ALTERUM CONSECTARIUM eſt, qvod omnes Aſſes, qvibus loco navigii aliae figurae inſculptae, cujusmodi ſunt, *lupa gemellos lactans*, *pugna Herculis cum centauro*, *aqvila cum fulmine et ſine fulmine*, *una vel plures clavae*, *bos vel caput bovis*, *eqvus vel caput eqvi*, *leo vel caput leonis*, *canis*, *aper*, *delphinus*, *gallus*, *rana*, *teſtudo*, *ſerpens*, *anchora*, *fulmen*, *caduceus*, *tropaeum*, *ſcutum*, *haſtile*, *concha*, *rota*, *lyra*, *culter falcatus*, *vas anſatum*, *talus*, *palma manus*, *vel manus ceſtu*, *lamina vel loro armata*, et ſimilia, ſi nomen ROMAE adſcriptum habeant, infra Bellum Punicum excuſi ſint: ſi non habeant, qvod tales Aſſes talibus figuris inſigniti, et nomine ROMAE deſtituti, non ſint Aſſes Romani, ſed aliud genus Aeris, alio loco et alio tempore excuſum, et a Romano plane diverſum. Qvod rurſus obſervandum contra eos, qvi omnium temporum et locorum Aſſes confundunt, et ex pondere eorum, novos Aſſium leviorum gradus, praeter Plinianos, ſtabilire nituntur. Utrumqve Conſectarium hanc praebet utilitatem, ut opes aereae melius dijudicari, et ab Aſſibus bello Punico ſignatis diſcerni poſſint.

XXVII. Aſſes nomine ROMAE inſcriptos, recentiores eſſe iis, qvi hac inſcriptione carent, qvales omnino ſunt omnes durante Bello Punico cuſi, multis exemplis comprobari poſſet, niſi *Junonius* ille, ſupra productus et penſitatus, hoc loco ſuffi- *Supra ſ. 20.* ceret. Hunc enim non tempore imminutionis, ſed ſerius percuſſum eſſe, multa perſvadent, et inprimis haec, qvod caput Junonis Soſpitae ſeu Lanuvinae pelle caprina tectum, et taurus ſaliens, ſint inſignia Gentis *Thoriae* in Denariis Familiarum Muſei Lipſienſis,



qvod ſerpens ſub tauro alius eſſe non poſſit qvam Lanuvinus *(o)*, et qvod valde credibile ſit, hunc Aſſem ab aliqvo *Thoriorum*, et forte ab illo ipſo, qvi denarium ſignavit, percuſſum eſſe, et figuris ſuis nihil aliud, qvàm gentis illius ex oppido Lanuvio originem, et *Legis Thoriae* de pecore alienos agros depaſcente memoriam repraeſentare. Legem agrariam a Sp. Thorio Balbo Lanuvino latam ad annum Urbis 646. ex fragmento aeneæ Tabulae retulit Pighius in Annalibus Romanis: Ex qvo ſimul de aetate tam nummi ipſius, qvam moris ſignandi Aſſes per inſcriptionem ROMA, qvae hic ſub Tauro legitur, judicium ferri poteſt. Ejusmodi inſcriptionem recentioris temporis certiſſimum indicem ac documentum eſſe, ultro agnoſcit *R. P. Vitryus (p):* ſed maximo opinionis ſuae damno, qvae vera eſſe non poteſt,

(o) Aelianus Lib. XI. Hiſt. Animal. cap. 16. *In Lanuvio ſacer eſt lucus, magnus et opacus, juxtaqve ipſum Aedes Junonis Argolidis. In eodem luco latibulum eſt amplum ac profundum, Draconis cubile.* Hinc Dea et ſerpens iſtius loci conjungi ſolent in nummis, praeſertim Familiarum, *Mettiae*, *Prociliae*, *Roſciae, &c.* Graeca habent ἐν τῷ Λανυινίῳ, manifeſta *Lanuvii* et *Lavinii* confuſione.

(p) Lettre du P. de Vitry dans les Memoires de Trevoux 1729. Juillet p. 1276. *Le nom de R O M A mis à l'exergue, me fait juger qu'elle eſt d'un temps poſtérieur. Car il eſt aiſé de remarqver, qve d'abord les Romains ne mettoiens aucune Inſcription ſur leurs Monnoyes. Enſuite ils commencerent à y mettre ſimplement le nom de leur Ville, R O M A. Aprez cela, ils ajouterent le nom de celui qui faiſoit fraper la Monnoye, et s'en tinrent-là aſſez regulierement pour toutes leurs Monnoyes de cuivre. Enfin ſur les Monnoyes d'argent on mit peu-à-peu quelque choſe de plus. Et de-là on pourroit prendre une regle aſſez ſure, pour connoitre l'age des Medailles Conſulaires, en comptant, que celles qui ſont ſimples et les moins chargées, ſont les plus anciennes.* Idemqve repetitur in deſcriptione praeſentis nummi pag. 1280.

poteſt, niſi aſſes ab illo producti, et ROMAE nqmine inſcripti, ipſo imminutionis tempore fabricati ſint. Aliam hujus nummi interpretationem me legere memini in Originibus Latinis Scipionis Maffei, ubi nonſolum vetuſtas ejus ſupra modum extollitur, ſed etiam figurae ad Arcadicam ipſius Romae originem accommodantur. Sed vereor, ut illuſtris auctor a pictore ſuo deceptus ſit, qvi, cum caput humanum animalis pelle velatum cerneret, nec tamen tegumentum illud ob partes detritas ſatis diſcernere poſſet, pro capite Junonis ex conjectura caput Herculis cum exuviis apri Erymanthii delineaſſe videtur. Nec diffiteri poſſum, me id libenter credere, cum qvia nummi melius conſervati caput habent pelle caprina veſtitum, et ungulas caprinas ex nodo pellis ſub mento Junonis prodeuntes *(q)*, tum qvia doceri neqvit, qva ratione taurus et ſerpens in averſa nummi parte cum capite Herculis aut origine Urbis Arcadica cohaereant.

Orig. Etruſc. es Lat. pag. 61. interprete Lottero.

XXIII. Aliud genus Aſſis, praeter Romanum, fuiſſe antiqvitus in Italia, nemo dubitare poteſt, qvi numiſmata Urbium Magnae Graeciae in Tabulis Goltzianis cum ſuis typis depicta, vel ſemel perluſtraverit. Ibi reperies *Qvadrantes* Axuritanorum et Antiatium in Latio tribus globulis, *Trientes* Atellanorum in Campania, Rheginorum in agro Bruttio, Copiatarum in agro Thurino qvatuor globulis, *Semiſſes* Calenorum in Campania ſex glo-

(q) Aſſis Muſei Granelliani, teſte Frölichio, habet caput Junonis Soſpitae, non caput Herculis. Eqvidem Theſaurus Morellianus in delineatione hujus Aſſis non exhibet caput Junonis, ſed Herculis juvenis cum exuviis apri. Sed celeberrimus ejus interpres, Sigebertus Havercampius, picturam Morellianam ex Aſſibus, qvos ipſe vario pondere et varia mole poſſidet, hiſce verbis corrigit Tom. II. pag. 476. *Caput Junonis Soſpitae, qvod docet pellis caprina, et ungulae caprinae ad guttur nexus. Poſt tres ſunt globuli, ponderis indicet. ROMA. Taurus ſaliens, deſuper tres ſunt globuli, cum ſpica. Infra ſerpens cernitur. Taurus et ſpica fertilis agri et paſcui ſunt ſymbola. Serpens alius eſſe non poteſt, quam Lanuvinus ille, qvi in hoc qvadrante ratione Junonis Soſpitae ſive Lanuvinae, cujus caput in anteriore nummi parte eſt, ſignatur. Habeo diverſae magnitudinis et ponderis varii.* Puta ſimiliter ſignatos.

globulis in media area ſignatos, qvae ſignandi ratio a conſvetudine Romana prorſus abludit, ſicut et figurae, qvibus iſti Aſſes vel partes Aſſium tam inter ſe qvam a Romanis diſtinguuntur; cujusmodi ſunt Delphinus in *Axuritanis*, capita aprorum intermedia clava in *Antiatibus*, taurus facie humana in *Atellanis*, tripus in *Rheginis*, cornucopiae in *Copiatis*, gallus in *Calenis*. In

Beger in Theſ. Br. Gr. Numiſ. pag. 316. 317.

Theſauro Brandenburgico occurrit *Aſſis Teatinus*, Pallade, noctua, et qvinqve globulis, et *Aſſis Lucerinus*, armis Herculis et qvatuor globulis ſignatus. Qvorum ille in ea Italiae parte, qvae Marrucinus ager dicitur, hic in Apulia excuſus eſt. In

Haym. Th. Brit. Part. II. pag. 163.

Theſauro Britannico reperiuntur duo *Aſſes Velienſes*, figuris et pondere diſtincti, unus capite Jovis et qvinqve globulis, alter capite Minervae et duobus globulis, uterqve monogrammate ΥE. et alite, ille Jovis, hic Minervae ſignatus. Eſt autem *Velia* op-

Supra Cap. VIII. §. 8. Haym. ibid. pag. 121.

pidum, ut ſupra vidimus, a Phocenſibus in Lucania conditum. In eodem Theſauro cernere licet *Qvadrantem Caelinenſem*, in cujus anteriore parte caput Palladis cum tribus globulis, in poſteriore ſtatua Palladis armata inter duas ſtellas appoſito fulmine repraeſentatur. Fuit autem *Caelina* qvondam oppidum ad flumen ejusdem nominis infra Alpes Rhaeticas ſitum, nunc eſt cadaver prope vicum *Maniacum* in territorio Venetorum. Ejusdem Oppidi *Sextantem*, in qvo caput Palladis cum duobus globulis, et in averſa tropaeum inter duas ſtellas, et ante tropaeum fulmen conſpicitur, cum epigraphe ΚΑΙΛΙΝΩΝ, invenio in Muſeo Lipſienſi, qvi, cum ſit mirae pulcritudinis, et nusqvam alibi obvius, hic omitti non debuit.

Hodie

Hodie incipit livescere, et glaucum colorem, qvem nobilem aeruginem vocant, contrahere. Pendet autem 1½ drachmas et 4. grana. Horum numerus, qvin multis aliis augeri possit, nullus dubito, si qvis Asses Italicos in Museis et Commentariis Antiqvariorum hinc inde dispersos aut cum Romanis Assibus confusos *(r)*, probe discernere et in unum qvasi follem colligere vellet. Praesertim, si, ut par est, eo qvoqve referantur, qvi hactenus velut vagi et extorres, et ab Antiqvariis ubiqve repulsi, nullum certum locum invenire potuerunt, ROMANO quidem nomine, sed non Romae signati. Qvalis est ille *Teruncius*, qvem inter plures argenteos ejusdem fabricae, visendum nobis in pictura dedit Goltzius, in qvo Leo gradiens, et in anteriore parte caput Palladis cum qvatuor globulis, et epigraphe ROMANO, id est, *Romanorum*, conspicitur. Quae Epigraphe, cum a stylo monetali Romanorum prorsus aliena sit, et nec Assibus Romanorum, nec ipsis Romanis conveniat, nos ad alios Romanos extra Urbem qvaerendos, qvibus hoc genus aeris jure tribuatur, compellit. Illos autem, ni fallor, invenimus in Civitatibus foederatis Italiae, iis puta, quae bello Sociali extincto et concordia inter Italiam et Romam restituta, jus Civitatis Romanae Lege Julia adeptae sunt, et hoc ipso in nomen *Romanorum*, antea invisum, nunc amicum, transierunt.

Goltz. M. Graecia Tab. XVIII.

XXIX. Alterum genus Aeris, qvod cum Romano male confunditur, sunt Asses Siculi, iisdem qvidem ponderum notis, sed non iisdem figuris signati. Horum aliqvos nunc, et praesertim eos, qui ex nominibus Urbium adscriptis agnoscuntur, e *Sicilia Numismatica* Parutae, Commentariis excellentiss. viri Sigeberti Havercampii illustrata, in medium proferam, et nominibus Assium Romanorum ob signorum similitudinem appellabo, etiamsi verum pondus ignoretur *(s)*. *Quinc-*

(r) Confusionis hujus reus qvoqve est Buterovius pag. 75. ubi Asses, qvamvis sua confessione a Romanis alienos, inter Romanos tamen collocat.

(s) Nomina Sicula posteritati tradidit Pollux in Onomastico, semel Lib. IV. Cap. XXIV. segm. 174. iterum Lib. IX. Cap. VI. Segm. 80. Sed uterqve locus in mendo jacet, et adhuc medicam manum exspectat. De ponderis Siculi a Romano differentia obiter agit Gronovius Lib. III. de Sestert. Cap. IX. pag. 179.

Qvincunx Messanensis. Miles hastatus clypeatusqve, pugnantis habitu. Qvinqve globuli. Tab. XXII.

Asses Syracusani incerti ponderis, polypis, concha, et delphino insigniti. Tab. LX. LXI.

Qvadrans Agrigentinus. Aqvila lepori infesta. Cancer marinus. Tres globuli. Tab. LXXX.

Qvincunx Agrigentinus, cum eodem utrinqve typo, et qvinqve globulis. Tab. LXXXII.

Semissis Agrigentinus. Aqvila et pagurus cum sex globulis. Tab. LXXXIII.

Semisses Himerenses, unus cum gallo gallinaceo, et sex globulis in media aversae partis area, alter cum sex globulis intra lauream, tertius cum Victoria sedente et velum sex globulis distinctum tenente. Tab. XCIII.

Qvadrans Leontinus, cum tripode inter duo frumenti grana, et tribus globulis. Tab. XCVII.

Sextans Segestanus. Caput Nymphae Segestae ex una, et canis concubinus ex altera parte, cum duobus globulis. Tab. CX.

Semissis Soluntinus. Caput Herculis, et in aversa monstrum serpentinum. Adsunt literae Phoeniciae, et sex globuli. T. CXIII.

Quadrans Soluntinus. Tres globuli. Caetera praecedenti similis. Ibidem.

Sextans Hyccarensis, in qvo caput barbatum, et ex altera parte canis cum duobus globulis. Tab. CXXII.

Quadrantes Centuripini. Tripus cum tribus globulis. T. CXXV.

Sextans Centuripinus. Aratrum cum duobus globulis. Ibidem.

Semissis Centuripinus. Lyra cum sex globulis. Ibid.

Mus. Gen. Tab. XIV. num. 10. 11. Sicil. Numismat. Tab. CXXIV. n. 5. XXX. Huc etiam spectare videtur ex cimeliis Musei Genoveviani rarus ille Assis, qvem Molinetus, cui notitiam ejus debemus, nescio qva de causa ad nummos Hetruscos, Havercampius meliori jure ad Siculos retulit. Caput est senis barbati. Tegumentum Capitis genus coronae, vel pilei militaris, cum dependentibus utrinqve buccarum tegminibus. Juxta caput est litera V. ponderis index, qvamvis male depicta. Nam in Museo Etrusco *Tab. CXCVII.* idem nummus habet L hamatum, seu angulo acuto affectum, cujus-

cujusmodi etiam in nummo *Calenorum* ſupra delineato conſpicere licet. Differunt autem hae ponderum notae. Illa Qvincuncem, haec λίτραν ſeu libram ſignificat. Pars averſa monſtrat canem excubantem, cum literis HATRI. Quae an recte deſcriptae ſint, dubito. Malim, ſi fieri poſſit, legere HATR. vel HADR. *(t)*. Nam haec lectio lumen in omnes partes diffundit, et nonſolum locum nummi, ſed etiam nomen Herois, et cauſam canis ſimul prodit. Locus eſt, ſi bene auguror, HADRANITANORUM oppidum, in regione montis Aetnae, parvum qvidem, ſed celebre ob fanum et lucum Dei Hadrani, a qvo etiam nomen nactum eſt, teſte Diodoro. Hodie dicitur *Aderno*, tranſpoſita canina. Sed vetus nomen eſt HADRANUM, Gr. Ἄδρανον, probante Cluverio in Sicilia Antiqva, et inde oppidani Plinio *Hadranitani*, qvi Graecis Ἀδράνιοι et Ἀδρανῖται, praefixo ſpiritu aſpero. Caput eſt ipſius regis HADRANI, qvem tota Sicilia tanqvam Deum indigenam et apud ſe natum veneratur *(u)*. Canis eſt cuſtos et aedituus Dei. Nam huic Deo mille canes, forma et magnitudine moloſſis pares, ad cuſtodiendum lucum et Templum, et arcendos fures, ſacros fuiſſe, Aelianus in Hiſtoria animalium ſcriptum reliqvit *(x)*. Sunt et alii Dii, qui canes Templorum ſuorum cuſtodes habent. Talis eſt Minerva Achaea teſte Ariſtotele in Mirabilibus Auſcult. Ferunt etiam Romae in Aede Vulcani canes fuiſſe pro aedituis, et tantum ſacrilegos allatraſſe. Qvidam etiam nummus, capite Palladis et cane ſignatus, cum epigraphe ROMA. videtur nobis in eadem urbe qvandam ejus Deae aediculam a Canibus cuſtoditam, indicare *(y)*. Qvod ideo mo-

Supra cap. VIII. §. 32.

Diod.Sic.Lib. XIV.pag.416.
Cluv.Sic.Ant. Lib. II. cap. VIII.pag.332.

T 2

(t) Qvam facile D. et T. in nominibus locorum permutentur, oſtendit ſimile nomen oppidi, qvod aliis *Atria*, aliis *Adria* et *Hadria* dicitur, *a qvo etiam Atriaticum mare ante appellabatur, qvod nunc Adriaticum*, teſte Plinio Lib. III. c. 16.

(u) Plutarchus in Timoleonte pag. 241 *Hadranitae anguſtum qvidem oppidum incolunt, ſed Deo ſacrum Hadrano, quem tota Sicilia religioſiſſime venerantur.*

(x) Aelian. Lib. XI. Hiſt. animal. cap. 20. *In Sicilia Hadranus eſt Civitas, auctore Nymphodoro: et in ea Hadrani Daemonis vernaculi Templum, qvod omnino inſigne et ſplendidum eſſe ait - - - Canes ei ſacri ſunt, qvi et ipſi colunt eum atqve inſerviunt, Moloſſis canibus tam forma qvam magnitudine ſuperiores, numero non pauciores qvam mille* &c.

(y) Canes Vulcani cuſtodes habet Donatus in Roma illuſtrata Lib. III. cap. 14. p. 225.

Canem

monendum duxi, ne qvis ex nimia rei tam insolitae admiratione Aeliano fidem detrahere praesumat, qvi solus hujus custodiae caninae apud Hadranitanos testis est. Unde porro mirum non est, tot urbium Siciliae nummos capite galeato barbatoqve ex una, et cane ex altera parte signatos reperiri, cum tota Sicilia in tutela istius Dei, qvem Daemonem Siculorum vernaculum Aelianus vocat, posita fuerit. Omnium rarissimus, et fortasse unicus, est aereus ille Messanae excusus, in qvo Capiti galeato et promissa barba conspicuo ipsius Dei ΑΔΡΑΝΟΥ nomen, et cani stanti ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ inscribitur. Qvem erudito Orbi antea incognitum ex Museo Granelliano nuper communicavit et docte exposuit *R. P. Frölichius*, omissa tamen canis interpretatione, qvae hic primum prodit.

In Animadversionibus pag. 31. 32.

XXXI. Haec ea lege abs me dicta sunto, siqvidem nummus Genovevanus lectionem, qvam cooptavi, admittat: sin minus, libens eum dimitto, et caligini suae relinqvo. Non enim illo opus habeo ad numerum augendum, cum ea, qvae ex Antiqvitatibus Italiae et Siciliae supra produxi aerea monumenta, sat multa et sufficientia sint, ad probandum, qvod omnia aera cum Romano confundere, aut ex pondere eorum de imminutione Assium Bello Punico facta, judicium ferre, non liceat. Ire per singulos asses, qvos viri doctissimi *Molinetus* et *Vitryus* tanqvam Romanos adduxerunt, et suum cuiqve domicilium adsignare, fere supervacaneum est, cum qvia celeberrimus Havercampius hunc laborem ex parte jam occupavit in Sicilia Numismatica (z), tum qvia reliqvi, qvi forte adhuc examinandi restant, si typi eorum cum Symbolis urbium in nummis Magnae Graeciae et Siciliae conspicuis diligenter contendantur, patriam suam ipsi produnt. Ita rana vel bufo *Cumas*, testudo *Sinuessam*, aper *Arpos*, gallus *Cales*, eqvus *Panormum*, polypus et concha *Syracusas*, delphinus *Tarentum*, leo *Leontium*, talus *Himeram* indicat. Et qvamvis qvaedam insignia pluribus locis communia sint, et hoc ipso verum

Canem Palladis custodem vide in nummo aereo apud Begerum in Th. Br. Gr. Numism. pag. 360.

(z) Sicil. Numism. Tab. CXXIV. 5. 6. 7. Tab. CLXIII. 7. 8.

rum locum eorum Aſſium, qvi inſcriptione carent, incertum reddant; nullum tamen eorum eſt, qvod non ad aliqvam Italiae vel Siciliae urbem reſpiciat, et aſſem ſuum ab aere Romano diſtinguat.

XXXII. Qvaeri adhuc poteſt, an Aſſes ſub libera tantum Republica excuſi ſint, poſtea vero ſub Caeſaribus ceſſaverint? Diſcrepant hic viri ſummi, et in re nummaria peritiſſimi, altero ajente, altero negante. *Havercampius* videtur affirmationem amplecti. *Auguſti*, inqvit, *et Horatii temporibus nulli amplius Aſſes cudebantur.* Contrarium ſtatuit *Valentius.* Poſtqvam enim in *Praefatione* ad nummos Familiarum monuerat, ne aerei maximi et majoris moduli inter aureos et argenteos Familiarum reponantur, ſeqventia ſubdit: *Sunt ejus molis non ita multi, e qvibus majores plerique Jovis aut Jani caput repraeſentant. Maximi vero qvotqvot ſunt imperante jam Auguſto cuſi, poſſunt non immerito in imperatoria ſerie ſuum locum tenere.* Unde etiam patet, qvo ſenſu accipiendum ſit, qvando idem praeclarus auctor, ſupra productus, negare videtur, ullos amplius Aſſes librales hodie ſupereſſe. Qvod certe de Aſſibus Tullianis pecude ſignatis intelligit. Nam reliqvos, capite Jovis, aut Jani, aut Mercurii, aut Palladis, aut alterius Dei Deæqve ſignatos (qvalem etiam in Muſeo Lipſienſi invenio, capite Jani ex una, Mercurii ex altera parte conſpicuum, ac undecim uncias duasqve drachmas cum dimidia pendentem) ſupereſſe fatetur, eosdemqve ſub Auguſto caeterisqve Imperatoribus excuſos exiſtimat. Non igitur uſum Aſſium libralium Lege Papiria ſtatim ſublatum, aut ſub imperio Caeſariano protinus ceſſatum credidit. Qva in re videtur mihi Hiſtoriam Auguſtam ſuffragantem habere. Nam primo Aſſes Seſcunciales Auguſti et Antonini Pii aevo adhuc duraſſe, Scriptores ejusdem temporis, *Vitruvius* et *Maecianus* teſtantur, qvorum verba ſupra adduximus. Porro aſſes librales ab aſſibus ſeſcuncialibus, qvamvis lege Papiria perpetuitatem adeptis, non omnino ſublatos, ſed ſtipendii militaris cauſa retentos eſſe, ipſi teſtantur milites Romani, Auguſti fine et initiis Tiberii auditis rebelles, in ſua apud Tacitum qverela: *denis in diem aſſibus animam et corpus aeſtimari.* Qvod de alio Aſſium genere qvam librali,

Theſ. Morell. Tom. II. pag. 417. col. 1.

Supra cap. IX. §. 11.

Supra §. 11.

Annal. I. c. 17.

 qvo-



qvorum deni denarium efficiunt, intelligi neqvit. Et horum etiam Affium diu poft mentionem facit Scholiaftes Perfii, his verbis: *Fuit autem Affis libralis et dupondius,* *QVI HODIE IN USU REMANSIT:* *et folebat penfari potius qvam numerari: unde et difpenfatores dicti.* Oportet autem hunc Scholiaften Nerone Imperatore, fub qvo Perfius vixit, non uno faeculo inferiorem effe, qvia fcholiorum honos veteribus tantum Poëtis refervari folet. Nec fortaffe errabimus, fi ufum Affium usqve ad Theodorici Regis Italiae tempora, et ulterius, in Romano imperio perennaffe dicamus. Id enim ex *Formula Caffiodori*, qva moneta committitur, colligi poffe videtur, in qva inter alia haec leguntur: *Claritas regia nil admittit infectum. Nam fi vultus cujuslibet fyncero colore depingitur, multo juftius metallorum puritate principalis gratia cuftoditur. Auri flamma nulla injuria permixtionis albefcat, Argenti color gratia candoris arrideat, Aeris rubor in nativa qvalitate permaneat.* Et paulo poft: *Proinde Te, cujus nobis laudata eft integritas actionis, ab illa indictione per juge qvinqvennium Monetae curam habere praecipimus, qvam Servius Rex in aere primum impreffiffe perhibetur: ita ut tuo periculo non dubites qvaeri, fi qvid in illa fraudis potuerit inveniri.* Atqve haec hactenus de Affibus. Caetera Metalla, et cuncta memorabilia, qvae in Re Monetaria Romanorum adhuc confideranda reftant, cum Deo et die feqventur.

Ad Satyr. 1. verf. 59.

Lib. VII. Var. Formula XXXII.









